44

DISSERTATIO SOLENNIS
DE
HAEMORRHOIDIBVS
VLTRA MODVM PROFVSIS,
ET CAECIS,
QVAM
D. O. M. A.
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDIO
IO. GOTHOFREDI BERGERI
D. THERAPEVT. PROF. PVBL. ORDIN. MED. SENIORIS, ET H. T. DECANI,
ATQVE
RECTORIS MAGNIFICI,
DN. PRAECEPTORIS AC PROMOTORIS
SVI AETATEM VENERANDI,
PRO
LICENTIA
SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES
RITE IMPETRANDI,
P. P.
CHRISTIANVS Gottlob RIZ
BVDISSA-LVSATVS.
IN AVDITORIO MAIORI
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM STATIS
A. D. IANVAR.

VITEMBERGAE,
Typis CHRIST. FINCELII.
A. S. R. cIɔ Iɔcc.

VIRIS

Nobiliſſimis, Excellentiſſimis, Ampliſſimis, Conſultiſſimis & Prudentiſſimis

DOMINIS CONSVLIBVS, SYNDICO, PRAETORIBVS,

Totique Ordini

SENATORIO

INCLYTAE VRBIS BVDISSAE,

Dominis Maecenatibus, Patronis & Fautoribus ſuis, aetatem venerandis

Diſſertationem hanc Inauguralem in ulteriorem ſui commendationem

demiſſe conſecrat

CHRISTIANVS Gottlob RIZ.

DE HAEMORRHOIDIBVS, VLTRA MODVM PROFVSIS, ET CAECIS,

DISSERTATIO *SOLENNIS.*

I.

ETſi non ignoro, id quod rerum uſus docet, et multi doctisſimi Medici memoriae prodiderunt, magno interdum emolumento corporis ſanguinem ſponte, nullaque adiuvante artis opera, vaſa aperire, ac praeſcriptos ſibi, et definitos intra eadem, terminos migrare: tamen illorum amplecti ſententiam minus poſſum, qui id ſingulari quadam naturae providentia fieri aiunt, ita ut perhibeant, eam ſalutis humanae cauſa facere omnia, et ſentientem malum opem ferre magnopere geſtire, ac quae noxia ſint, expellere noſſe, quae utilia, uſui ſervare, idque omnino agere, ne temeritate magis, quam conſilio, et ut facilitate magis, quam violentia, medeatur, quemadmodum *L. de Arte* et *I. de Nat. Facult. Galenus* literis tradidit. Namque vel non ſatis capio, quam vulgo admirantur, naturae in nobis poteſtatem

 et prae-

et praeſtantiam, quam quippe nihil aliud eſſe exiſtimare poſſum, praeterquam in motu conſtitutum illum ſolidi, et liquidi, ex quibus corpus coaluit, contextum, nulla pollentem cognitione, intentioneque ad conſervationem ſui, uti eximie *Robertus Boyle* declaravit *Diſqviſit. de Natura*; vel iure eam, ſi quae daretur alia vis naturae, accuſare poſſe videor, quod vel negligentia quadam, et ſocordia, vel nimia ſuarum virium fiducia, non ipſis mox initiis, atque ſeminibus morborum reſiſtat, humorumque inutilium et noxiorum proventum non impediat potius, et praecaveat, quam exturbet. Praeſertim cum fieri haud raro ſoleat, ut natura, omnis immemor ſapientiae, ac providentiae, qua uti creditur, et furoris quaſi plena, prodiga ſuccorum vitalium fiat, ſanguinemque ultra modum profundat, et, niſi prudentior Medici manus modum poſuerit, fluxionemque repreſſerit, afferat necem.

II.

Id quod, ut aliarum haemorrhagias partium praeteream, vel unius illius fluxionis per vaſa inteſtini recti, quam Graeci αἱμοῤῥοΐδα nominaverunt, exemplo conſtare poteſt. Equidem inficiari haud poſſum, multa ſubinde ex ea fluxione, ſi modum non exceſſerit, in quosdam homines redundare commoda, ita ut, quemadmodum ſcriptum reliquit *Hippocrates VI. Epid. III.* quibus mature fluunt haemorrhoides, hi neque lateris, aut pulmonis tentari inflammatione, neque phagaedaena, neque furunculis, neque terminthis, ac forte ne lepra quidem, fortasſis vero neque vitiliginibus, malisque aliis, corripi ſoleant. Animadvertas contra, intempeſtive curatos, qui fluentes habuerunt haemorrhoides, non ita multo poſt malis eiusmodi corripi, adverſaque utplurimum valetudine conflictari; ac melancholicis

praeter-

praeterea, vel renum morbo laborantibus, vel inſanientibus, haemorrhoides fluere cœpiſſe, bonum eſſe, ſecundum *Aph. II. et XXI. S. VI.* Nihilo tamen ſecius fieri non raro ſolet, ut, quae aliquando fluxio non tam morbi, quam purgationis, et remedii ſpeciem praetulit, multum nonnunquam incommodi, periculique habeat, atque ipſa poſcat remedia, mortisqve cauſa fiat, quando immodice ſanguinem profundens, infractionem virium extremam, ſummamque imbecillitatem gignit, atque hydropem, phthiſin, aliumve quempiam gravisſimum morbum parit, indicio quidem ſatis evidenti, non ſapientia quadam, et providentia naturae, ſed vi cauſae morbificae, fluxionem hanc concitari, et quicquid afferat commodi, id omne κατὰ συμβεβηκὸς evenire, atque ex eventu demum iudicari, ſi nempe, depoſita ſanguinis parte, tempeſtive conſtiterit fluxio, in bene vero habentibus, nullaque affectis labe corporis, haud obſervari. Tantum abeſt, ut eam fluxionem elegans, et abſolutum naturae bene valentis, muniaque ſua tunc recte adminiſtrantis, opus cum *Rein. Solenandro Conſil. med. XX. S. IV.* appellemus. Qvod optime perſpiciens *Galenus*, evacuationi per haemorrhoides naturam aſſvefaciendam eſſe prohibet, quod periculoſus ſit exceſſus, & hydropem procreet, ſi ultra modum ſanguis excernatur *IV. Aph. XXV.* et *III. de Fac. Nat. IIX.* Neque aliter viſum fuit *Aetio*, quando eandem affectionem plurimorum cauſam malorum, ſcribit, hominibus exiſtere, et deformitatem, ac miſeram inducere vitam, multosque etiam vita privare. *Tetr. IV. S. II. C. V.* Idem vero multorum obſervationes medicorum teſtantur, et quotidiana experientia confirmat.

III.

Nihilo autem leviora incommoda, periculaque expectan-

pectanda ſunt, ubi ſanguis in eadem delatus loca, neque regredi recte, neque egredi, vacuarique poteſt, ſed in medio haerens itinere, viamque reperiens inviam, illam in tumorem admodum moleſtum, dolentemqve attollit. Hunc medici tumorem plerique ad differentiam haemorrhoidum fluentium, vel apertarum, quas vocare conſuerunt, haemorrhoides caecas, Graeci τυφλάς, appellandum duxerunt. Qvae utraque perpeſſio, cum ſaepe hominem fatiget, graviſſimeque affligat, digna mihi viſa fuit, in qvam, Deo bene iuvante, loco ſpeciminis cuiusdam ſolennis, ſtudium operamque conferrem. Minus autem laborabo de origine, atque ſignificatione vocis, qua nemo fere neſcit, in genere quamlibet fluxionem ſanguinis, prout ipſe aliqvando *Hippocrates* eadem uſus eſt *Prorrh. II.* ſpeciatim vero fluxionem illam, quæ ex vaſis fit inteſtini recti, eodem auctore doctiſſimo Sene *III. Aph. 30. et VI. Aph. 12.* ac ſingulari de *Haemorrhoid. libello*, quem et *Galenus*, et *Erotianus* pro germano habent, intelligi, atque additione caecarum ſignificari tumores, qui ex motu ſanguinis, per ea vaſa impedito, eandem partem infeſtant. Potius ipſam rei naturam inveſtigabo, primumque ea in medium proferam, quae in utroqve affectu nos ſenſus edocent, quo deinde ſedem, et cauſas interiores, atque reconditas, omnemque mali indolem, propius cognoſcere poſſimus.

IV.

Illud vero ſatis, puto, cognitum eſt, fluxionem haemorrhoidalem interdum ſubito, et repente, nihilque tale cogitantibus, oboriri, quemadmodum patri ſuo, *Jordano*, eveniſſe ſcribit *Petr. Foreſtus L. XXIII. Obſ. III.* ſaepius autem praecurſores quosdam, qui eam imminere annuntient, habere. Vt plurimum enim antecedunt laſſitudo cor-

poris

Poris tenſiva, et motiones variae in variis abdominis Partibus, potisſimum autem in lumbis, et hypochondriis. Murmurat intus venter, et borborygmis, atque inflationibus inteſtina ſonore ſtrepunt, et remugiunt. His improviſa ſaepe anxietas, et palpitatio cordis, ac variatio in pulſu iungitur. Adeſt plerumque ſenſus quidam modo aeſtus, modo frigoris, et dolor inprimis, a ſpina ad oſſis ſacri regionem, et coxas usque, ſe ſaepius extendens, et partem praecipue poſtremam inteſtini recti, quae anus dicitur, afficiens moleſte. Is vero dolor non unius generis, ſed varius eſſe ſolet, nunc gravans, et premens, nunc acutus, et modo tendens, modo pungens, lancinans, mordens, pulſans, et ardens, et magis, minusve, lacesſit, ac ſub egeſtione ſcybalorum, praeſertim duriorum, ac renitentium, augeſcit et divexat. Et qui ita ſe habent, his tubercula in ano enaſci, ac inhaerere ſolent, quae primo pruriunt, et deinde modo eiusmodi vario dolent, aliquando etiam incaleſcunt, et inflammantur. Interdum autem nullus adeſt tumor, aut levis tantum, et mollis, nullusque affligit dolor, ſed levis ſaltem ulceratio, et pruritus aliquis, qui ad frictionem ſolicitat, aut ſenſus tantum presſionis quidam in ano, inter egerendum moleſtus eſt, ſaepius etiam teneſmus aliquis modo magis, modo minus, urget. Multis quoque anus foras cogitur, et procidit. Nec enim omnia omnibus, ſed alia aliis accidunt, pro diverſo cauſae, fluxionem producentis; et naturae conflictantis, habitu. Inter haec ſanguis exit, quibusdam citius, quibusdam tardius, interdum ultro, ſemper in conatu, maximeque poſt extremam alvum. Is autem excrementis haud permiſcetur, ſed ſeorſim redditur, nunc quidem liquidus, floridus, et rutilans, nunc craſſus, limoſus, et nigricans, aliqvando etiam, ſi in recto ſubſiſtat inteſtino, concreſcit, et grumi rubentis forma eiicitur. Neqve vero ſemper ſanguis admodum coloratus, ſed interdum mucoſus valde prodit, aut humor tantum albicans, non purulentus,

rulentus, ſed ſeroſus, et nunc ſpermati ranarum, nunc albumini ovorum, fluorique albo uteri, ſimilis, manat, id quod *Hoechſteterus Dec. I. Obſ. med. Caſ. I. Fernelius L. VI. de Part. morb. et ſympt. C. X. Hollerius S. III. Aph. 30. Spigelius de Hum. corp. Fabr. L. V. C. V. Sennertus Pr. L. III. P. II. S. II. C. XIII. Q. I. Jo. Rhodius Cent. III. Obſ. LXXII.* ut plures praetermittam alios, docebunt. In *Eph. Germ.* ex apertis in viro quodam perpetuó valetudinario haemorrhoidibus materiam ſpermatis inſtar ranarum felici ſucceſſu ad plures exiviſſe libras refertur. *D. I. A. I. obſ. 75.*

V.

Atque haec non illis tantum eveniunt, quibus haemorrhoides fiunt, ſed etiam quibus ſemel, iterumque factae, denuo imminent, et exitum moliuntur. Nam qui ſemel eas expertus eſt, nunquam tutus ab iisdem vivit, qvando per intervalla, nunc longiora, nunc breviora, et modo certa, ſtataqve, modo incerta, reverti, et diu, brevique durare, in quibusdam etiam quaſi continuo fluere, ſolent. Idque nunc multo cum labore, varioqve, et multiplici fit ſymptomate, nunc ſine eo, et ſine ullo dolore, tumoreve. Vt vero materia et tempore, coniunctisque accidentibus: ſic etiam copia, et modo exeundi, variant. Neque enim ſanguis parum, vel modice, et tantum cum fecibus exprimitur, ſed etiam ſponte, et ſine iisdem funditur, et nunc placide, ac ſenſim paulatimque exſtillat, modo confertim, et cum impetu veluti e rivo, nec raro cum ſaltu, tanquam e ſiphunculo, profluit, quemadmodum de femina quadam ſenili CL. *Wedelius* refert, *Eph. Germ. D. I. A. III. obſ. XXII.* Quod ſi nimium atque immodice fiat, ſanguine ſuccisque vitalibus corpus exhauritur. Hinc vero magna fit mutatio in homine. Nam vigor minuitur virium, pulſus redditur debilis, et gravitas inprimis in coxis, multaque in cruribus imbecil-

imbecillitas oritur. Perit nitor oris, vividique coloris flos expalleſcit. Albicat, et turgeſcit corpus, ſaepe etiam liveſcit, et colorem plumbeum, flavum atque ſubviridem induit, qui, ſi *Avicennam* audias, ita laborantium fere proprius eſt, tanti quidem habitus a *Foreſto*, ut hoc ſolo confiſus ſigno, multos eorum ſe cognoviſſe, et pronuntiaſſe, magno cum artis honore, glorietur, *L. XXIII. obſ. V. in Schol.* Eandem vero coloris deformitatem intellexit etiam, et indicavit *Hippocrates Prorrh. II.* Quove diutius protrahitur, aut copioſius eſt profluvium, hoc magis elangueſcit compages corporis, et pulſus minor fit, ac debilior, itaque nonnunquam obſcurus, ut vix posſit percipi, et decedentibus continuo, ac ruentibus in peiora viribus, anima interdum deficiat, et magis ſemper magisque ſuccumbat laborantis naturae bonitas.

VI.

Neque multo aliter agi cum illis videas, qui haemorrhoidum caecarum calamitates experiuntur. Sed magis hos oſtendunt tumores, qui inteſtino recto inſident, et vel ex eodem prominent, ac intuentibus patent, digitisque tangentibus occurrunt, vel intus latent, itaque interdum occuluntur, ut ſine ſpeculo, vel everſione ani, videri minus posſint, aliquando vero non niſi coniectura deprehendantur. Vnde hi haemorrhoidum internarum, illi externarum nominibus appellantur. Vtrumque genus tumoris initio pruritu ſe prodit, et quodam moleſto, gravanteque, vel tendente, iuxta ſedem ſenſu, cum egerendi difficultate. Sequitur dolor, magis minusve urgens, principio tenſivus, hinc mordax, lancinans, tandemque pulſans et ardens, qui ad partes plerumque vicinas et conterminas, veſicam, teſtes, inguina, et muliebria ſeſe profert, atque inflammationem prodit. Tam enim caecis, quam fluentibus inflam-

matio nonnunquam coniungitur. Quo quidem caſu tumor dolorve graviores fiunt, et latius ſe explicant, nec ſemper febris homo expers eſt. Saepe etiam urina non niſi guttatim, et cum conatu, doloreque interdum magno, redditur, aliquando vero plane ſupprimitur. Vbi vehementior eſt inflammatio, ſphincter podicis ab externis interiora verſus ita contrahitur, et anguſtatur ut ne flatus quidem emitti posſit, et dolor fere intolerabilis, ac ſenſus gravis ponderis in dorſo, et lumbis, hominem exerceat. Quare huiusmodi tumores haemorrhoidum furentium nomen promeruere. Ingraveſcit autem dolor, atque exacerbatur, dum aeger alvum levare nititur, maxime ubi durum excrementum exprimitur. Quo fit, ut magno cum metu, et angore deponant, interdum etiam in animi incidant deliquium, et quodam ſpaſmi genere corripiantur, malintque ſaepe retineri feces, quam reddi, nec minus glandes, et fiſtulas enematum vehementer pertimeſcant, ac refugiant. Nihil autem, vel perparum ſanguinis, aut mucoſi tantum, ſanioſique liquoris aliquid, nec fere niſi in conatu, exprimitur. Aliquando etiam aliquid a frictione exſudat, ſuperficialis cuiusdam ulcuſculi more. Vt vero in fluentibus, ſic etiam in caecis ſedes ſaepe procidit, atque extra anum inteſtinum protuberat, magnamque creat moleſtiam.

VII.

Horum porro tumorum non eadem omnium facies, et habitudo eſt. Nam multum magnitudine differunt, ſuntque numero unus, vel plures, parvi, medii, magni, quorum hi ad pugni magnitudinem interdum accesſiſſe viſi ſunt, et poſt duriorum praeſertim ſcybalorum deiectionem, magnumve quemvis conatum, inaequaliter extuberant, ac propendent, idque nonnunquam incommodi afferunt, ut nec ſedere commode, nec ſtare, neque decumbere etiam

hoc

hoc malo laborantes poſſint. Sunt vero quidam illorum tumorum, qui coacto foras ano, prominent quidem, et conſpicui fiunt, retracto autem eodem, iterum recedunt et detumeſcunt. Deinde variant quoque in colore, nam lividi plerumque ſunt, et obſcure rubicundi, interdum autem ſucco turgent albicante, ut tradunt *Foreſtus L. XXXIII. Obſ. III. Paraeus Chir. L. XII. c. XXIV.* et *Greiſſelius l. c.* quorum hi poſtremi, quia molles ſunt, et piſcium veſiculis quodammodo ſimiles, veſicales dicuntur. Ceteri vero, qui ſuccu turgent ſanguineo, more acinorum uvae lividae, vel tuberoſam quandam eminentiam habent, inſtar mori fructus, vel duriores ſunt, et aſperi, morales, uvales et verrucales cognominantur.

IIX.

Solet autem uterque affectus haemorrhoidum, caecarum, et fluentium, eam praecipue aetatem invadere, quae Graecis παρακμαστική dicta, fere a quinto ſeptenario terminato incipiens, ad ſeptenarios duos ſequentes extenditur, ut praeter uſum, rerum magiſtrum, habent *Hippocrates S. III. Aph. XXX.* et *C. Celſus L. II. C. I.* Nec tamen omnino ulli parcit aetati, quin ipſam ſubinde pueritiam adoriatur. Cuius quidem rei exempla tum alibi, tum in *Eph. Germ. D. I. A. IIX. Obſ. XII.* habentur duorum puerorum, unius annorum octo, alterius natu minoris, quorum uterque fluxum haemorrhoidalem paſſus eſt. Et *l. c. A. IIX. ac X. Obſ. CLXXIIX.* mentio fit duorum puerulorum, trium unius, alterius quatuor annorum, qui gravi morbo haemorrhoidum, et quidem poſtremo fungi ſpecie extantium, cum ſummi doloris ſenſu laborarunt. Communis etiam eſt tam virili, quam femineo ſexui, magis tamen huic evenit,

 ſuppres-

ſuppresſis menſibus. *Novi*, inquit *Heurnius Aph. II. S. III. mulieres, quae menſium vice haemorrhoides fundebant.* Idem affirmat *Hollerius Aph. XI. S. VI.* Immo in gravidis quoque menſtruis ſuppresſis copioſum ſanguinem per haemorrhoides excretum fuiſſe, notavit *Scholiaſtes Hollerii ad L. I. de morb. int. C. LV.* Et haemorrhoidibus gravidas plerumque laborare, quando plus habent ſuccorum, quam a foetu posſit abſorberi, obſervatio eſt *Dureti Annot. in L. I. C. LV. Hollerii de morb. int.* Fieri tamen etiam in gravidis videas haemorrhoides, praeſertim caecas, a foetu grandiore, moleque uteri, venas cum inteſtini recti, tum iliacas comprimente, motumque ſanguinis per cavae pariter ac portae ramos turbante, unde varices in cruribus, illoque inteſtino, exſurgunt. Rarius autem obſerves, fluentibus etiam menſibus non minus, quam deficientibus tandem, ad ſenilem usque aetatem fluxionem haemorrhoidum permanere, cuiusmodi exempla leguntur in *Eph. Germ. D. I. A. III. Obſ. XXII.* et in *Act. Hafn. Th. Barthol. P. I. Obſ. LXXXI.* Fluxionem menſtruam pariter et haemorrhoidalem Galliarum Reginam, *Eleonoram*, et Comitiſſam Waldecciam, paſſas eſſe, *Fernelius Conſ. XXXIX.* et *Solenander l. c.* memorant. Meminitque *Garmannus* feminae, quae quovis plenilunio menſtruo, novilunio autem haemorrhoidali fluxu laboravit *Eph. Germ. D. I. A. IV. Analect. ad A. III. Obſ. XXII.* Neque minus familiaris viris, et aliquando inſtar menſtruorum ſtatis temporibus, haec eſt fluxio, ut notavit in quodam *Veſalius de corp. Hum. Fabr. L. V. C. XV.* et alias obſervare licet. Quin et ob ſingularem diſpoſitionem nonnullos, et totas interdum familias haemorrhoidibus tentari, monitum eſt a medicis, maxime a *Solenandro l. c. Hollerio l. c.* et *Schenckio L. III. Obſ. I. de Haemorrhoid.*

IX.

Ac quemadmodum experientia conſtat, non minus illos huic malo obnoxios eſſe, quorum corpora ab ineunte aetate ſuccis, vivido pollentibus motu, turgent, quam quorum vaſa ſuccos craſſos et crudos, minusque mobiles, aut ſalibus acidis et acribus aculeatos, atque fervidiores, gerunt: ita eadem magiſtra rerum edocemur, a potu generoſo et calidiore, victuque pleniore, et craſſiore, ac facile fermenteſcibili, ſalinoque praegnante ſtimulo, utrumque genus malorum haud raro provocari. Quo poſtremo nomine frequentior caeparum atque alliorum uſus valde ſuſpectus eſſe ſolet. Neque aliam ob cauſam aliquam infamiae labem ſuſcepit aloe, quam quod ſale ſuo acri, amaricante, ac erodente, exagitet valde, ac veluti exurat ſuccos corporis, vaſaque arrodat, et cum haemorrhoides in diſpoſitis, tum fluxus alios ſanguineos in aliis moveat, ut a *Serapione CII. de med. ſimpl.* et *Meſue de Simpl. Fac. C. I.* proditum accepimus. Neque enim hic locus dandus eſt diſſenſioni *Leon. Fuchſii I. Parad. C. I.* ſed audiendus *Iul. C. Scaliger*, qui experientiae ſcutico dignos habet, qui hoc negare auſint. *Exerc. CLX. S. III.* Idem pertendit *Rod. a Fonſeca*, qui ob crebriorem aloes uſum Venetis et Patavinis familiares eſſe haemorrhoides tradit *T. I. Conſ. XXVII.* Scribit etiam *Fallopius de ſimpl. med. Fac. C. de aloe*, ſe, quoties haemorrhoides aperire voluerit, pilulis ex aloe uſum, ex iisque, quorum centum aloe uſi, nonaginta haemorrhoides paſſos fuiſſe. Eiusdem uſu remedii immoderato *Sethum Calviſium*, virum doctiſſimum, in ſputum ſanguinis lethiferum incidiſſe, *Gothofr. Moebius Diſſ. de Haemorrhoid.* et *Calvinum* in haemorrhoides ulceroſas, et ſputum ſanguinis incidiſſe, *Beza* in eius vita auctor eſt. Ex potione aloetica, qua ſenex delectabatur, urinam cruentam obſervavit *OL. Borrichius*, qui nihil

aloe familiarius eſſe ait, quam acrimonia ſua venas aperire, in *Act. H.afn. A. 1673. Obſ. LXIV.* Idem vero expectandum eſt a catharticis vehementioribus aliis, itemque a mitioribus, maiori paulo numero datis. Ita ſcammonium, et folia ſennae, cuidam recidivam haemorrhoidum induxiſſe, *Scultetus* ſcriptum reliquit in *Armam. Chir. Obſ. LXXVI.* Atque in viro quodam, leucophlegmatia tumido, obſervavimus, eum a drachma una braſſicae marinae, ſive ſoldanellae, fluxum expertum haemorrhoidalem, quoties eadem uteretur. Quod minus quidem mirandum, cum, auctore *Schenckio*, *Guil. Rondeletius* narrarit, cuidam homini per omnes corporis meatus, per oculos, aures, nares, penem, ac partes alias ſanguinem prorupiſſe, adapertis vaſis uſu nimio eiusdem braſſicae marinae.

X.

Sunt etiam aliae plures cauſae evidentes, quibus eadem provocari incommoda, crebro nimis experimur. Tales ſunt omnes corporis motiones, atque labores vehementiores, praeſertim vero ambulatio, et curſus, ſaltusque concitatior, vectio et equitatio longior, et ſuccuſſoria, graviorum ponderum tractatio, et geſtatio, ac quaevis ſpiritus compresſio fortior, efflatioque ſubita, ac violenta, clamor multus, et magnus, partus difficilis valde, et laborioſus, ac frequens conatus, contentioque vehementior in deponenda alvo duriore, quibus omnibus utriusque generis haemorrhoides ſaepius excitari, cum magno valetudinis detrimento multi, ſuoque quidam commodo, quotidie experiuntur, exemplaque plurima paſſim in medicorum libris extantia confirmant, quae hic enarrare nimis longum, minusque utile in re aperta, foret. Vt vero pateat, quantum ſola etiam deambulatio diuturnior valeat, opportune in

mentem

mentem venit civis cuiusdam Monſpelienſis, quem *Riverius* narrat, cum ad villam, duobus milliaribus ab urbe diſtantem, pedes ierit, multisque indutus veſtimentis, vehementer incaluerit, furentes ſibi haemorrhoides contraxiſſe, *Cent. II. Obſ. VI.* Atque alius meminit *Fred. Deckers*, qui poſteaquam aere calidiore plus ſolito deambulaſſet, calefactus admodum, domumque reverſus, in fluxum haemorrhoidalem gravisſimum incidit, quo ultra tres libras ſanguinis fluidi intra unius ſpatium horae emiſit. *Exerc. Pr. p. 433.* Sed creberrime omnium cauſam, et occaſionem praebere ano intruſos violentius digitos pro explorando veſicae calculo, et iuvando partu, immiſſaque ſuppoſitoria, atque enemata acriora, calidiora, vel frigidiora, balneum item plus aequo calidius, vel frigidius, diutiusque prolongatum, frictiones ani, et quae ſunt huiusmodi plura, quae anum, eiusque vaſa laceſſunt, et exſtimulant, vel laxant, et quotidiana docemur experientia, et relatum legimus a *Dodonaeo Obſ. L. Rondeletio Meth. Cur. C. XXIII. Foreſto l. c. Obſ. V.* et *VI. Riverio Obſ. a Pachequo commun. V. Sebizio Spec. med. Pr. p. 1189. Horſtio L. I. Obſ. XVI.* et *L. IV. Obſ. V. Losſio L. III. Obſ. XXIIX. Deckero l. c. p. 432.* et *435.* ac *ſeqq.*

XI.

Quemadmodum vero exercitationes, laboresque corporis: ſic motus quoque animi, inprimis iram, atque excandeſcentiam, quibus cordis, et vaſorum, ſanguinisque motus concitatior redditur, et valde nonnunquam turbatur, non parum huc conferre, exemplo eſſe poteſt Theologus quidam in *Eph. Germ. D. I. A. III. Obſ. 226.* qui a leviculo zelo, exiguo vini hauſtu, voce, aut motu corporis concitatiore, confeſtim paſſus eſt fluxum haemorrhoidum, eodemque deinde diu fuit fatigatus. Neque vero terror, metus,

ac

ac moeror inprimis diuturnus, et triſtitia, ſimilesque animi perturbationes, quibus cordis et fibrarum quarumvis motricium robur minuitur, reſpiratio langueſcit, et ſegnius humores corporis moventur, conſtrictisque nervorum finibus, vaſa anguſtantur, atque adeo στάσεις, et eruptiones ſangvinis fiunt, ex eorum numero, quae haemorrhoides movere poſſunt, omnino eximendae ſunt, ſiquidem et ex terrore metuque vehementi ſanguineos ſudores obortos legimus, meminitque *Schenckius L. III. Obſ. med. Tit. de Venis*, religioſae et nobilis feminae cuiusdam veſtalis, quae, cum in irruentium hoſtium ſtrictos gladios, ac praeſentem iam mortem intentantes, incidiſſet, adeo perterrita fuit, et totis interne viſceribus commota, ut ſanguis ab omnibus corporis meatibus continenter effluęret, atque exanimis miſere ſub hoſtium oculis concideret.

XII.

Suntque demum e rebus ceteris, quae morboſe corpori accidunt, non paucae, quibus haemorrhoides cieri perſaepe comperimus. Ac de fluxibus quidem variis alvi, prolapſuque ani, ut et ulcere, ac calculo veſicae, res notior eſt, quam ut memorari multis debeat. De retentis quoque menſibus, ac duritie alvi, partuque difficili, ſatis iam ſupra dictum eſt. Solet vero non raro fieri, ut propter conſvetarum etiam evacuationum aliarum ſuppresſiones, et cauſas quascunque alias, exuberans in vaſis, et turgeſcens ſanguis, uti per os et nares, imo etiam aliquando per aures et oculos, ita quoque per vaſa ani exprimatur et prorumpat. Sed et ab ipſa haemorrhoidum fluentium ſuppreſſione intempeſtiva caecas, furentesque oriri haemorrhoides, quotidianae obſervationis res eſt. Ita etiam a copia et viſciditate bilis fluxio haemorrhoidum ſaepe notata, quae con-

venienti

venienti uſu purgantis, eadem inde excreta, mox iterum ceſſavit. Et quantum ſanguis conferat, ſi a nativa deſciſcens indole, in limoſam, et acido-ſalſam, atque tartaream δυσκρασίαν, particulis ſcatentem findentibus et corrodentibus, ſanguinemque in grumulos cogentibus, degeneret, ac in ſuo praeterea per viſcera imi ventris motu et circulo moras nectat, vaſisque ipſis, ac viſceribus noxam ſuam et labem affricet, teſtimonio eſſe poſſunt hypochondriaci, ſcorbutici, ſplenetici, cachectici, et hydropici, qui uti eas ob cauſas varicibus, atque haemorrhagiis variarum partium, ita inprimis haemorrhoidibus, cum caecis, tum fluentibus, valde ſunt obnoxii. Quod multo quidem patebit evidentius, ſi in ea quoque, quae in ſectis cadaveribus iis morbis defunctis occurrunt, oculos et animum convertamus. His enim conſtat, in venis portae praeter modum ſanguinem cumulari, ita ut duplo, triplove maiores ſolito, et varicoſae fiant, magno inde in hypochondriis oborto aeſtu, teſtante CL. *Meibomio*, *Diſſ. de Sangv. educt.* §. *XL.* Ita quoque *Mercatum* vaſa iſta varicoſa et veluti cancroſa animadvertiſſe legimus *L. I. de int. morb. Curat. C. XVII.* Alia exempla vaſorum eorundem, atro turgentium ſanguine, et quaſi varicoſorum, leguntur in *Raym. Jo. Fortis Conſ. 88. Cent. II.* et *Matth. Martini L. de Aff. hypoch. p. 136.* Huc vero inprimis pertinet, quod in quodam, fluxu haemorrhoidali per intervalla laborante, et reſecto poſt mortem, obſervavit *Veſalius*, venam ſub recto inteſtino excurrentem pollicis craſſitiem ſuperasſe, eoque modo ſanguine turgidam fuiſſe, quo iam parturientium animantium venas, uterum amplexantes, inſigniter amplas diſtentasque cernimus. *L. III. C. V. l. c.* Idem in alio, qui haemorrhoidibus periodicis laboravit, et nigro demum arquato, iecoriſque duritie obiit, annotavit, venae portae ramum, ſub coli inteſtini fine, et tota recti longitudine in meſenterio ductum, eadem prope craſſitie, et ſanguine tumidum, diſtentumque fuiſſe,

conterminis venae cavae ramis nihil prorſus immutatis *l. c. L. V. C. XV.* Obſervavit etiam, id quod praeterire nolim, Magnif. Dn Praeſes in cadavere illuſtris JCti, *Caſp. Ziegleri*, qui aliqvot ante obitum annis haemorrhoidibus laboravit, venam eandem haemorrhoidalem crasſitie digitali, ſed inaeqvali, ab inteſtino recto usque ad inſertionem in ramum portae ſiniſtrum, et ſanguine liquido partim, partim craſſo grumulisqve compacto, plenam; eiusque extrema tumida pariter, et arroſa, vel attrita, cruentaque, apparuiſſe. Id quod calculis in veſica ſtipatis, quorum tres et viginti invenit, omnes magnitudine fere iuglandis, figuraque triangulari, non inique fortaſſe fuerit imputandum. Reliqua portae vaſa, ipſumque hepar cum liene integra deprehenſa ſunt, et ſana, quamvis in veſica fellea, valde dilatata, duo et viginti calculi, exignbilioſa concreti materia, reperirentur.

XIII.

His ita praemiſſis, quae per ſenſus haberi poſſunt, ſatis cuivis patet, ſedem et partem affectam in haemorrhoidibus, cum caecis, tum fluentibus, interiorem inteſtini recti partem, eiusque inprimis vaſa, et proximam utriusque mali cauſam in turbato per eadem vaſa circuitu ſanguinis quaerendam eſſe. Quod ut evidentius appareat, exponam breviter curſum naturalem, atque periodum ſanguinis per vaſa illius inteſtini, quod in utraque affectione laborare deprehenditur, quo deinde de ſanguinis itinere devio, ac receſſu a motu illo, curſuque naturali, diligentius conſtare poſſit.

XIV.

Quemadmodum igitur ſangvinem pulſu cordis ad partes corporis omnes per arterias adduci, atque per venas ad idem, unde abiit, reduci principium, oculorum teſtimo-

nio

nio docemur: ita idem in illa inteſtini parte, quae recti nomine appellatur, etiam uſu venit, ut qvaedam ſangvinis portio eiusdem vigore cordis per ſingularia eius inteſtini vaſa moveatur. Ac ſangvinem quidem adducunt arteriae, dictae haemorrhoidales, qvarum aliae ex meſenterica inferiore, ſive meſocola, ramos ſuos in inteſtinum colon, et per rectum ad ſedem usqve, proiiciente, germinant, vocanturque internae, aliae ab iliaca interna, indeqve prognata hypogaſtrica, ductae, ad muſculum ſphincterem, et levatores duos poſtremi inteſtini excurrunt, atque externae nuncupantur. Ex horum deinde vaſorum radiculis, exuta craſſiore tunica, ductuque inverſo replicatis, pullulantes venae, aliaeque earum ex ipſo inteſtino in unam haemorrhoidalem internam, venarum omnium, quae ad inteſtina pertinent, capaciſſimam, rectaque via et curſu fere perpendiculari venam portae verſus aſcendentem, eiusque ramo interdum dextro, plerumque ſiniſtro, aut iuxta diviſionem, raroque admodum ſplenicae inſertam venae; aliae vero ex muſculoſo ani contextu in haemorrhoidalem externam, duplicem, utrinqve unam, ad latera deflexam, atqve ad hypogaſtricam, iliacamque internam abeuntem, ſe colligentes, advectum per arterias ſanguinem recipiunt, et partim immediate, partim per hepar, ad cavam, ceu confluentem, cor verſus deducunt. Vt vero vaſa haemorrhoidalia externa muſculis ani impenduntur, in iisdemque ſeſe abſcondunt: ſic vaſa eiusdem nominis interiora in ipſam inteſtini ſubſtantiam denſiſſimis propaginibus ſparguntur, magnamque partem per tunicam eius interiorem, qvam vocant nerveam, diſſeminantur, non aliter, atqve in ceteris inteſtinorum voluminibus cum vaſis reliqvis ſangvineis ſe habere, *Th. Willis Pharm. Rat. P. I. S. II. C. III.* et *Phil. Verheyen Anat. Tr. II. C. X.* non ſine cauſa adverterunt. Id quod ei praecipue fini fieri, *Frid. Ruyſchio* in

Reſp. ad Epiſt. Anat. XII. lubens largior, quod vaſis illis rigari debeant glandulae, quae a *Pechlino* et *Peyero* detectae, atque in ea tunica magno ſatae numero, ſuccum promunt, exſolvendae ciborum maſſae, et laevigandis lubricandisque inteſtinorum viis utilem ac neceſſarium plane. Immo vero vaſa iſthaec, praedictam tunicam nerveam perreptantia, non ſolum productionibus quibusdam ſuis extremis, non plicatis quidem illis, aut circumvolutis, ut quorundam fert opinio, ſed recto fere tramite decurrentibus, et ſuccoſis valde ac mollibus, atque in tunica illa hinc inde veluti in penicillos quosdam emeritos, more vaſorum in ſplene humano, aut apices veluti pulpoſos, colligatis, ipſas easdem glandulas conſtituunt, verum etiam compluribus ſuarum radicum capillamentis, ultra eam tunicam denſiſſime propagatis et exporrectis, ſuaque baſi ad perpendiculum eidem inſiſtentibus, velamentum illud inteſtinorum interius veluti bombycinum, quod cruſtam appellamus villoſam, contexunt. Atque illae quidem glandulae in inteſtinis tenuibus minores ſunt, ſaepeque acervatim in areolas, et plexus congregatae, maiores autem in crasſis occurrunt, et ſparſim tantum, atque in diſtinctis veluti ſtationibus collocantur, ac inter cruſtae villos ita ubique eminent, in cavaqve inteſtinorum proſpiciunt, ut una cum cruſta, vel tunica villoſa, facile avelli, aut fortius tantum atqve incautius deterſo illius muco, deleri posſint, ſed evidens tamen veſtigium in tunica nervea, poros nimirum notabiles, relinqvant, iniectaqve in arterias meſaraicas cera colorata, non ſolum illum inteſtinorum contextum glanduloſum infarciat, ſed etiam fortius adacta, per glandulas illas ſarcinam ſuam in ipſo inteſtinorum cavo deponat, relicto aliqvando colore rubro. Eiusmodi inteſtina ſe in muſeo cuſtodire, laudatus ſcribit Anatomicus, in qvibus glandulae illae, qvas appellat ſpurias, materiam ceratam albam continent, licet vaſa meſaraica maxime rubicundo colore ſint imbuta:

buta:

buta. Cuius rei merito nullam aliam agnoſcit cauſam, qvam qvod productiones vaſorum extremae, qvibus glandulae illae ſpuriae conſtituuntur, et conſtant, adeo ſint tenues, et ſubtiles, ut materia cerata, ut decet, adacta, contentum minium, aut ſimile quid, colorem largiens, relinqvat in itinere, et ſine colore cava inteſtinorum ingrediatur. Atqve idem illud ipſis in vaſis ſangvineis uſu venire ſolet, ut iniecta in arterias, venasqve, cera rubicunda, pro varietate pororum per has vias rubicunda, per illas alba, per alias flavi coloris cera prodeat, cum tamen antea tota maſſa rubicunda fuerit, quemadmodum non raro experimentum fecimus, et *Nuckius de Ductu ſaliv. nov. C. II.* obſervavit.

XV.

Ex quibus perſpectu facile eſt, in utroqve genere haemorrhoidum, cum fluentium, tum caecarum, internarumque pariter ac externarum, vaſa haemorrhoidalia inprimis interiora pati, utpote quae in nerveam inteſtini recti tunicam, in qua tumere vaſa, ſangvinemqve fundere obſervantur, abeunt, et per eandem ramos quaquaverſum ſuos proiiciunt, atqve ad anum usqve pertingunt, ſuisque eum numeroſis propaginibus circum circa interius in eadem praedicta tunica cingunt et amplexantur. Cum contra vaſa eiusdem nominis exteriora in muſculoſam eius ſubſtantiam ramos ſpargant, in qva qvidem eius generis tumores, caecos, vel fluentes, haud deprehendas, neque etiam a coercito intus, haerenteque ſangvine vaſa ibidem ita extendi, et dilatari poſſunt, quin tumorem qvendam ſubcutaneum in ſphinctere cutaneo, aut etiam profundiorem concipiant, a decumbente in carnes ſanguine utplurimum ſuppurantem, atqve in abſceſſus et fiſtulas abeuntem, ut ex *Wiſemanno* commode CL. *Bohnius* monet *Diſſ. de Haemorrhoid. caec. §7.*

XVI.

Neque vero minus conſtare poteſt, ſanguinem in ſubſtantiam inteſtinorum extra vaſa natura nuſquam effundi, ſed quandam tantum lymphae partem, dum illius maſſa ex arteriis extremis in principia venarum profluit, per molles et ſuccoſos illarum apices, ultra recurvos venularum tubos perparum propendentes, qvibus glandulae inteſtinorum efformantur, exprimi, tum quoque ex cruſtae villis emitti. Neqve vero aliam arteriae, qvae ſuccum inteſtinis nutricium apportant, aperturam habere poſſunt, praeterqvam qvod per poroſas tenerioresqve tunicas rore quodam lymphae minimas tunicarum, qvas peragrant, fibras rigent. Quod ex eo colligamus licet, qvod, ut alios inter notavit *Malpighius Ep. II. de Pulm.* hic germanus naturae mos ſit, ut qvemadmodum in partibus ceteris corporis, ſi una exceperis cavernoſa virilis membri corpora, ita in inteſtinis qvoqve, vaſorum fines in retia confundantur, ac diremtae in minores, ac tenuiſſimas tandem propagines arteriae, inverſo curſu ad cor recurventur, et venarum ductus conſtituant. Quid? quod in ipſa inteſtinorum cruſta villoſa obſervavit *Ant. a Leeuwenhoek*, omnia vaſcula ſangvinea, quae eius tunicae textum ingrediuntur, flexu aliqvo intorqveri, intraque flexum hunc includi, quotquot ab iisdem rami oriuntur, atque in rotunditatem inflexa iſthæc vaſcula tanta ſibi copia invicem adiacere, ut quibusdam in locis, ſpatio quartae pollicis partis, plura qvam decem millia eorum comprehendi viſa fuerint. *Arcan. natur. Detect. p. 59.* Pari modo non in foetibus tantum ranarum, recens ex ovo, gyrinorum forma, excluſis, omnem ſangvinis protruſionem ex corde, eiusque tranſitum ex arteriis in venas continuas, armatis microſcopio oculis cernimus, ſed etiam in ranarum maiorum, ac piſcium variorum, inprimis vero anguil-

larum, rhomborumqve diverſis partibus eandem ſangvinis periodum per multa tenuiſſima vaſcula, ſibi invicem coniuncta, atqve a corde ad partes directa, flexuqve contrario cor verſus redeuntia, quorum illa arteriarum, haec venarum nominibus diſtingvuntur, iucundo ſpectaculo obſervamus, teſtimonio ſatis quidem claro, arterias et venas vaſa continua, et prolongata eſſe. Id quod praedictus *Leeuwenhoek l. c. Ep. 65.* et *ſeqq.* et *Gvil. Cowper* in *Append. ad Anat. Fig. III.* multis experimentis confirmarunt. Vnde idem de animantibus aliis, ipſoque homine, hoc iudicemus facilius, quo plura alia argumenta id nobis perſvadent.

XVII.

Illud etiam, opinor, haud difficulter intelligitur, fallacem eſſe, atque periodo ſanguinis penitus adverſam illorum opinionem, qui a liene ſanguinem feculentum et melancholicum vena haemorrhoidali interiore ad inteſtinum rectum deduci, et expurgari, etiamnum credunt. Nam raro admodum vena illa haemorrhoidalis ſplenicae inſeritur venae, et quamvis eidem aliquando inſeratur, fieri tamen natura neqvit, ut quicquam a liene devehat; quippe cum ſanguinem omnem, quem vehit, ex arteria cognomine recipiat, eundemque pariter omnem ad ramum illum ſplenicum apportet, ubi deinde is ſanguini ex liene venienti admixtus, ulterius ad portam, et hepar amandatur, indeque per idem vas haud regreditur. Eadem eſt ratio curſus ſangvinis per venam eandem haemorrhoidalem, cuicunque demum portae ramo inſeratur. Motus enim humorum et progreſſio in venis perpetuo eſt a ſurculis ad ramulos, et ramos, ac truncos, et conſequenter a radicibus venae haemorrhoidalis ramum verſus ſplenicum, et portam; non contra, a ramo ſplenico, et liene, vel hepate, ad inteſtinum

rectum.

rectum. Nam venae reducunt tantum, id quod arteriae adducunt, ipſae nihil quicquam exportant, excepta porta, qvae in hepate arteriae munus et conſtructionem habet. Adhaec ſatis iam ex Anatome conſtat, lienem ſanguinem dilutum maxime et floridum, magnaque copia ex aorta per arteriae caeliacae ramum ſplenicum, iecorario multo capaciorem, recipere, eundemque magis diviſum, atqve attenuatum per venam ſplenicam ad portam et hepar, partemque quandam lymphae per vaſa lymphatica ad conceptaculum commune, nihil vero aliorſum amandare, atque adeo pro ſede et receptaculo fecis illius chimaericae, ac veluti cloaca corporis, immerito haberi. Neque a vero me aberraturum puto, ſi dixerim, lienem eſſe machinam, ſangvinem attenuantem, propellentemque ad portam, ut motum humorum per eius propagines, et bilioſae materiae ſecretionem, ac tranſitum in vaſa biliaria adiuvet et promoveat.

XIIX.

Atque haec quidem de ſtatu ſano accipienda ſunt. Fieri autem praeter naturam ſolet, ut ſanguis, quemadmodum ex maioribus venis in minores, ex cava nempe in ramos, niti nonnunquam obſervatur: ita etiam ex vena praedicta haemorrhoidali in eius ramos, per rectum diſſeminatos inteſtinum, reditum paret. Non enim aliter fiunt tumores illi venarum nodoſi, dicti varices, quam quod ſangvis, qvi per arterias in venas propulſus, ad cor reduci debebat, ibi quodammodo ſubſiſtere cogatur, immo partes verſus contendat, cui cum valvulae reſiſtant, ac reluctentur, in ſpatiis intermediis venarum tunicae dilatantur, ac tumores eiusmodi concipiunt, nodis veluti diſtinctos, qvia venae iuxta valvulas extendi minus poſſunt, propter maiorem ibi a valvularum exortu et principio oriundam illarum vim et firmitu-

mitudinem. Neque aliam ob cauſam vena illa haemorrhoidalis adeo quibusdam intumeſcit, et dilatatur, quam quod ſangvis per arterias advectus, vel tardius et difficilius per eandem aſcendit, vel plane in eadem reſtagnat, ultraque ferri neſcius, copia ſua infarcit venam, atqve extendit, tandemqve dirumpit. Id quod aliquando a langvore cordis et arteriarum, aut a compreſſione, atque atonia venae haemorrhoidalis, aut ab obſtructione hepatis, et reſtagnatione, impetuqve ac preſſione humorum, ex ramo portae, cui vena illa inſeritur, regurgitantium pariter, deorſumque nitentium, aut a pluribus huiusmodi cauſis, ipſo etiam pondere atqve craſſitie ſangvinis interdum adiuvante, evenire ſolet; quemadmodum ex dictis, dicendisqve copioſius conſtabit.

XIX.

His enim ita poſitis et conſtitutis, iam recto philoſophandi ordine ad conſiderandam haemorrhoidum, cum fluentium, tum caecarum, naturam poſſumus progredi, et unde humores profuſi veniant, quibusque viis mittantur, et ubi, ac quomodo iidem, in motu et progreſſione impediti, haereant, negotiumque corpori creent, diſpicere. Ac quantum primo ad fluxionem attinet, illud quidem tuto, opinor, poteſt affirmari, eam nonnunqvam ex glandulis inteſtini recti, quoquo modo patentioribus redditis, nimiumqve hiantibus, prodire, utpote qvas nihil eſſe aliud, qvam productiones arteriarum, ultra recurvos venarum tubos in tunica nervea perparum propendentes, et iniectae in eas arterias cerae in ipſum inteſtini cavum tanſmittendae capaces et idoneas eſſe, ex ſuperioribus conſtat. Per has igitur vias non mucum tantum viſcidum, humoresqve ſeroſos, ſive haemorrhoides albas, ſed ipſum aliquando ſangvinem, vel redundantem, vel turgeſcentem, et aliunde

nimium commotum, et agitatum, aut etiam ſeroſum nimis et acrem, vel impeditum denique in ſua per venas retroceſſione, profundi exiſtimo, praeſertim ſi ſine dolore, maioreqve copia, profuſio iſta fiat. Sicut de nobili Hiſpano memorat *Panarolus*, qvod per integros quatuor annos qvotidie libram unam ſangvinis per haemorrhoides ſine incommodo excreverit, *Pentec. II. Obſ. 46.* Ac neſcio ſatis, per easdemne vias, an per venas potius, ſangvinem expreſſerit ſenex ille apud eundem *Panarolum Obſ. 47.* qui adhuc iuvenis fluxui haemorrhoidali ita aſſuefactus fuit, ut deinde in ſenio conſtitutus, raro admodum exemplo plus minusve ſanguinis, quoties male haberet, pro lubitu mittere potuerit, more illius pueri, cuius meminit *Swammerdamius de Reſpir. p. 9.* qui cohibendo ſpiritum per vulnus in pede magnam ſangvinis copiam pro arbitrio emiſit.

XX.

Quemadmodum vero per inteſtini recti glandulas in fluxu haemorrhoidali: Sic quoque per alias inteſtinorum ceterorum glandulas fluxus ſimiles cruenti fieri poſſunt. In quam ſententiam CL. Amſtelodamenſium Anatomicus, quem ſupra laudavimus: *Notatu*, inquit, *dignum aeſtimo, materiam ceraceam in arteriis meſaraicis fortius adactam, per haecce corpuſcula, ſeu glandulas ſpurias inteſtinorum, iucundo ſpectaculo in illorum cavitatem ſarcinam ſuam deponere, relicto aliqvando colore rubro. Quidni cenſere liceat idem fere in corpore vivo aliquando poſſe fieri, ſcilicet, in plethora ad vaſa, vel in ſangvinis vehementiore motu, in quo non raro ſine praegreſſa ulceratione inteſtinorum, homines ingentem quantitatem cruoris ſine dolore excernunt.* Quorſum referenda videtur fluxio illa, quam vocant, hepatica, qua ſanguis ſeroſior, loturaeque carnium ſimilis, ſine dolore, ad pluresqve

interdum menſes redditur. Cuiusmodi fluxionem ex hepate derivabant veteres, et proinde hepaticam appellabant, refragantibus recentiorum compluribus, qui fluxum proprie dictum hepaticum prorſus negant, et vix nominare amplius audent, omnemque eiusmodi fluxionem a ſero copioſo, ſangvini admixto, oraqve arteriarum relaxante, cum *Franc. de le Boe Sylvio Pr. L. I. C. XIII. Barbette Pr. C. VI. Etmullero Pr. C. IX.* et *Deckero l. c. p. 532.* deducunt. Sed qvemadmodum praedictum eſt, ex ipſis inteſtinorum glandulis, quibus merito pancreas addas, ſerum interdum cruentum mitti: ita nihil obeſſe video, quo minus idem aliqvando ex hepate fieri posſit, cum nempe pori vaſorum felleorum laxati, et plus aeqvo hiantes, ſangvinem ipſum ſeroſum nimis, minusve cohaerentem, tranſmittunt, vel ad cavam ducentes eiusdem viſceris ductus, lentis crasſisque ſuccis ita obſesſi et impediti, aut aliter obturati, compreſſi, vel conſtipati ſunt, ut propterea ſangvis per arteriae caeliacae, et venae portae propagines in praedictos cavae ſurculos diſpergi aeqvaliter omnis recte nequeat, ſed partem aliquam una cum bile in huius vaſa, et per porum communem cholodochum in inteſtina urgeatur, fluxionemqve illam, vere dictam hepaticam, excitet. Sed ea qvidem huius loci non ſunt.

XXI.

Hic autem quaerendum eſt, qvod multis noſtratium placere video, ſangvisne ex arteriis etiam haemorrhoidalibus interdum dimanet? Quod negare quidem penitus nolim, cum fieri omnino posſit, a mole, et turgeſcentia, impetuque ſanguinis, vel a cohibito eiusdem motu progrediente ex arteriis in venas haemorrhoidales, partes illarum extimas, ac teneriores, ante, quam in venas replicentur, dilatari, et dirumpi, vel etiam ab acrimonia quadam erodi,

ſicque exitum humoribus per easdem concedi. Idque ex eo haud fortasſis temere colligas, quod ſangvis non ſemper cum fecibus tantum, et minore exprimatur copia, ac ſenſim placideqve exſtillet, ſed etiam aliqvando confertim, et cum impetu, ſaltuque, veluti e ſiphunculo, continuato filo, magnaque copia, ex ano proſiliat, et dolor interdum pulſatilis ac inflammatorius cum caecas, tum fluentes haemorrhoides comitetur, ut ſupra Th. V. et VI. commemoratum eſt. Neque tamen neceſſe eſt, ut cum notabili pulſatione ſanguis extima arteriarum capillamenta egrediatur, cum ſatis iam conſtet, pulſationem in finibus arteriarum, ubi crasſiorem exuant tunicam, eludi.

XXII.

Deinde illa etiam veterum opinio, qua fluxionem haemorrhoidalem ex venis eius nominis derivabant, praecipue excutienda eſt. Ita enim ipſe *Hippocrates* laudato *libello de Haemorrhoid. Incaleſcentes*, inquit, *venae ſanguinem ex proximis venis attrahunt, eoqve impletae, recti inteſtini partem interiorem in tumorem attollunt, et venarum capitula conſpicua fiunt, quae dum partim a ſtercore exeunte contunduntur, partim a ſangvine coacervato perrumpuntur, ſangvinem eiaculantur, idqve maxime cum ſtercore, interdum ſine eo.* Idem affirmant multi eorum, qui gnari fuerunt circulationis ſangvinis, ut *Conringius de ſangv. generat. et mot. C. XXIIX. Highmorus Diſq. Anat. L. I. P. II. C. VI. Rolfincius Diſſ. Anat. L. VI. C. XXIX. Theod. Schenckius Exerc. Anat. V. L. V. S. II. C. XV. Blaſius* in *Not. ad Veſling. p. 48.* pluresve alii. Sunt vero etiam non pauci, qui aliter ſentiant, omnemque illam fluxionem ſolis demandare arteriis malint. Sed invita ratione et experientia. Quodſi enim per venas alias ſanguinem effluxiſſe per venas experientia conſtet, qvidni idem per venas haemorrhoidales fieri poſſe, ſtatuamus? Exire autem ſangvinem per venas alias, quotidianae obſervationes docent. Inter alias notatu digna eſt *Obſ. IV. P. II. Panaroli*, qua ille periodi-

cum

cum ſangvinis fluxum ex vena varicoſa in tibia ſtatis temporibus annotavit. Refert etiam *Sennertus L. de Scorb. C.V.* exemplum de quodam, cui vena cruralis ſponte ſua ſe aperuerit, atqve per aliqvot dies fuderit ſanguinem. Et illi perdite amanti, adamatae aſſidenti, vena in temporibus ſponte aperta eſt, profluxitque ſangvis copioſus apud *Cornacem Conſult. med. L. I. C. III.* Nec rarum eſt ab utero gravido varices in venis cruralibus excitari, indeqve ſanguinem fundi, cuiusmodi exemplum paucis ante partum diebus notaſſe cl. *Bohnium* recordamur. Propius ab inſtituto noſtro abeſt, obſervaſſe nonnullos, ſangvinem ex uno e vaſis brevibus, inſigniter hiante, in ſtomachum tranſiiſſe. Haud ſecus *Jo. Riolanus* in quodam nobili Senatore, qvi reiectione ſangvinis per ſuperiora, et inferiora interiit, vas deprehendit breve minimi digiti magnitudine latum, et in ventriculum adapertum. *Anthrop. L. II. C. XVII.* Notaruntqve *Reald. Columbus. Rer. Anat. L. XV.* et *Jo. Valverdus Anat. Corp. Hum. L. VI. C. V.* in cadavere *Cardinalis de Cibo*, qui vomitione cruenta obierat, ſimilem venam, lienem adeuntem, notatu dignae amplitudinis repertam fuiſſe, per qvam ſangvis ex ventriculo in lienem, atque ex hoc iterum in ventriculi cavum propelli, ac derivari potuit, ita ut a contactu compreſſioneqve unius viſceris mox alterum intumeſceret, et ſangvine turgeret. Plura praetereo alia exempla, quorum apud *Dodonaeum Cap. de Abſinth.* atqve in *Eph. Germ. D. I. A. IX. Obſ. XX.* fit mentio. Illud ſaltem obiter notandum duxi, eam eſſe venarum ventriculi conſtitutionem, ut, qvia inter ſe omnes coniunctae ſunt, et valvulis deſtitutae, ſanguis etiam in cadaveribus ſurſum deorſumque per omnes propelli poſſit, iniectusque ſiphone liqvor, vel flatus in vas breve, in ipſa vaſa gaſtrica progrediatur, cunctasque ventriculi venas repleat, et diſtendat.

XXIII.

Neqve vero multis hic opus eſt argumentis aliis, qvum ipſorum teſtimonio ſenſuum conſtet, venas haemorrhoidales crebro admodum intumeſcere, et ſanguinem fundere. Immo vero facilius id fieri in vena haemorrhoidali portae, quam in venis aliis, ex eo non difficulter intelligas, quod ea non ſolum communem fere cum venis cruralibus ſitum atqve aſcenſum perpendicularem obtineat, ſed etiam per laxiorem inteſtini recti, qvod minus movetur, quam brachia et crura, compagem, interioremqve tunicam nerveam diſſeminata, facilem concedat moram minori momento velocitatis refluenti ab inteſtino ſangvini, itaqve non raro promineat, ut a contentis intus humoribus, quos vehit, tum vero praecipue a pertranſeuntibus alvum fecibus, nunc tenuibus et acribus, nunc vero durioribus et aſperis, iniectisque pariter enematis, atque immisſis glandibus, et nimia ſphincteris in nixu egerendi conſtrictione, cauſisque eiusmodi aliis, laxari facile, et atteri, vel exedi, rumpi, modoque alio, ac pluribus nonnunquam cauſis concurrentibus, lacerari et aperiri perinde posſit, ac venulas narium ſaepenumero ſolvi, ſanguinemque fundere obſervamus. Atque ob eam quidem vaſorum conformationem, alios prae aliis eam fluxionem pati, imo ſingularem qvibusdam familiis atque hereditariam eandem eſſe, putarim. Nam quibus illae venae, per ſuperficiem tunicae nerveae ſparſae, et diſſeminatae, magis prominent in cavo inteſtini, atque adeo contactui rerum, in eodem occurrentium, magis ſunt expoſitae, his, neceſſe eſt, facilius laxentur, tumeant, atque aperiantur, ſive id attritu quodam, ſive exeſione, vel ruptione, aut crepatura fiat.

XXIV.

Qvin et fieri nonnunqvam arbitror, ut ſanguis, ex patefactis quoquo modo vaſorum capillitiis in ſubſtantiam tunicae interioris nerveae emiſſus, cuniculos agat, et nova ſibi conceptacula gignat, factaque deinde alicubi rimula, inveniat exitum, et fluxionem eandem pariat. Quod ſatis qvidem comparebit, ſi de haemorrhoidibus caecis praemonuerimus, eas trium generum tumoribus conſtitui, quorum alii ipſa ſunt vaſa haemorrhoidalia interna, cum pulſatilia, nimirum arteriae, ſangvine turgentes et diſtentae, tum vero inprimis cetera, videlicet venae, ad portam ſpectantes, humoribus pariter tumidae, atque varicibus protuberantes; alii vero nova quaedam ſunt conceptacula, a ſanguine vaſis egreſſo, interqve tunicae nerveae pelliculas, aut hanc inter et muſculoſam tunicam viam ſibi vi faciente, et ſingulares excavante alveos. Id genus tumoris diu hominem, et graviter affligere poteſt, quia ſanguis, vi cordis atque arteriarum propulſus, divellendo villos praedictae tunicae, triſtem doloris ſenſum affert, viamque, qua refluat, aut exeat, non inveniens, arctiores ſuos dilatat alveos, et maris implacidi more ſinus ſibi format, intra quos reciprocet, et variae magnitudinis tumores efficit. Hos permanentes vocat *Gliſſonius*, ad differentiam tumentium venarum, qvas evanidos nuncupat tumores, quia hi in prolapſa nixu egerendi interiore inteſtini tunica, atque a ſphinctere arctius conſtricta, propter ligatas ſimul venas, ſubito oriantur, et durante ſphincteris ligatura, appareant, ſaepeque ſanguinem mittant; retracta autem, finito ſeceſſu, intus eadem tunica, et conſequenter ceſſante ſphincteris conſtrictione, ſubito abeant iterum, et diſpareant, quod ſanguis, ſoluto vinculo, liberum in venas reditum inveniat: Cum contra genitae impetu arteriarum, et ſanguine infarctae cellulae, vel membranulae,

branulae, qvas varices, et venas appellat varicoſas, non niſi facta earum ruptione, vel exeſione, detumeant et ceſſent. *Tr. de Ventric. et inteſt. C.X.* Sed permanentes quoqve tumores venas conſtituere, ipſo ſenſu in vivis conſtare poteſt, atque ex eo dilucide patet, quod eaedem etiam poſt mortem tumidae deprehendantur, ut ſupra Th. XII. expoſitum eſt.

XXV.

Solent autem horum commemoratorum tumorum, nunc unus tantum, vel alter, ſeorſim exiſtere, nunc duo, aut omnes, coniunctim adeſſe, maximamque inter eos moleſtiam tumor creat arteriarum inflammatorius, qvando nimirum ſangvis, qui pulſu cordis per arterias adducitur, apices earum obſtructos, vel compreſſos, pervadere, atque adeo recipi a venis, et redire ad cor, quo ſolet circulo, minus poteſt. Sic enim neceſſe eſt, eadem contentione cordis integro ſemper ſangvine ſuffecto, arteriisque minus perviis incuſſo, et maius ſibi ſpatium exigente, atque in motum perturbatum valde abrepto et concitato, omnemque ſuum impetum in vaſa illa conferente, haec non tantum intumeſcere, ſed etiam violentius pulſare, acerrimumque inde doloris diſtrahentis, pulſantis, ardentisque ſenſum, quem haemorrhoidum furentium nomine exprimunt, una cum rubedine, vaſa pellucente, exoriri. Quemadmodum autem omnes hi tumores, tam nempe vaſorum, quae praediximus, quam factorum intra tunicas inteſtini cuniculorum, quamdiu clauſi ſunt, et nihil, vel perparum fundunt ſangvinis, caecas conſtituunt haemorrhoides: ita rupti iidem, vel arroſi, atque attriti, ſangvinemque fundentes, generis nomine, itemque fluentes appellantur. Hoc autem facilius aperiuntur, qvo propius abſunt ab interioris tunicae ſuperficie. Quod multo fit aliter, ſi magis intus, tunicam

inter

inter nerveam et muſculoſam, tumor concipiatur. Tunc enim et contumacior fit, nec ita facile aperitur, et ſanguinem fundit, peſſimeque propterea audit, ac ſaepius inflammationem, malaque alia graviora arceſſit.

XXVI.

Ex his itaque non erit difficile intelligere, cauſas, quas ſupra commemoravimus varias, in provocandis haemorrhoidibus non uno omnes modo agere, ſed alias ſuccos in vaſis accumulando, vel plus aeqvo exagitando, aut particulis crasſis, limoſis, aculeatis, ſalſuginoſis, et roſione fermentoqve pronis, *κρᾶσιν* ſanguinis vitiando, alias circulum ſanguinis per hepar turbando, alias ſenſiles inteſtini villos, vaſaque laxando, premendo, conſtringendo, irritando, exedendo, atterendo, motum humorum progresſionemqve per illa vaſa ita impedire, ut vel ab arteriis in venas, vel ab his ad hepar ſatis promte et expedite tranſmitti nequeant. Hoc enim poſito, neceſſe eſt, cum cordis, tum arteriarum niſu, et ſyſtole ſanguinem continuo in vaſa illa minus pervia impelli quidem, ſed cum progredi per ea minus recte commodeque poſſit, infarcire eadem, ac dilatare, ſaepeque mora ſua, et ſtagnatione nunc coire, et glomerari, nunc aliter corrumpi, et modo novos ſibi alveos excavare, modo glandulas inteſtini, vel tumentia vaſa, aut factos de novo alveos illos, perrumpere, aut ex iisdem locis arroſis, vel attritis, emitti, atqve adeo nunc caecas, nunc fluentes, haemorrhoides parere.

XXVII.

Ex eadem cauſa tenſiones et motiones in lumbis ac hypochondriis exiſtunt, doloresqve iuxta ſpinam, ad extremum usque osſis ſacri, et coxas protenſi, et ipſum nonnunquam

quam cordis pulſum turbantes, exoriuntur. Nam quia ſanguis ab impreſſo cordis motu per arterias haemorrhoidales iugiter amandatur, per venas autem ad hepar traduci recte neqvit, non ſolum arterias illas valde diſtendit; ſed etiam reſtagnando in motum extraordinarium abripitur, et cum humorum inſequentium, ac totius nonnunqvam maſſae, curſum et progresſionem, tum vero ipſarum etiam arteriarum cordisque pulſationem interturbat. Sicut enim repreſſo rapidi fluminis fluxu, tumeſcunt aquae multo cum tumultu: ita hic, cohibito ſanguinis conſveto et naturali per vaſa haemorrhoidalia tranſitu, non ingens tantum intus in humoribus tumultus excitatur, ſed etiam turgentes iisdem arteriae concitatius et vehementius pulſant, ac totum non raro ſyſtema arteriarum contremiſcit, ipſumque ſubinde cor concutitur et ſubſilit. Vt minus ſit mirandum, qvum tot arteriarum ictibus tot viſcera, et partes corporis, ac inteſtina praecipue craſſa, complodantur, inſignem ſaepe mutationem atque anxietatem in corpore, inprimisque iuxta lumbos, et hypochondria, atque a ſpina ad usque extremum oſſis ſacri, quendam moleſtum tenſionis, ac doloris, ardorisqve ſenſum perſentiſci; qva qvippe regione corporis anfractuoſus inteſtini coli ambitus continetur, dum praedicto oſſi ſacro arcto nexu iunctum, in rectum extremumqve inteſtinorum, quod ad finem usque coccygis deſcendit, abeat. Ac cum iisdem inteſtini pulſationibus flatus inſoleſcant, atque ex utre velut Aeolio laxati, quaquaverſum per tubum illius atque volumina diffundantur, hinc inflationes, murmuraque, et borborygmi ventris commoventur, qvae quidem ſedato illo ſanguinis et vaſorum tumultu, facile conquieſcunt, non ſecus ac cetera ſuperius enumerata ſymptomata, de quibus nihil hic addendum putamus, quia cauſae eorum ex iis, quae praedicta ſunt, reddi haud difficulter poſſunt.

XXIIX.

Neque exiguae etiam turbae expectandae ſunt a ſanguine in ramis portae reſtagnante, utpote quo vaſa illa vi extenduntur, et motus humorum in hypochondriis, ac per univerſam ſaepe inteſtinorum regionem, convellitur, et, ſi culpa hepatis fiat, violenta humorum, ex liene, ventriculo, omento, pancreate, inteſtinis et meſenterio refuſorum, reſtagnatio exoritur. Quo minus miremur, ſi aliqvando per ventriculum, ſaepius per inteſtina, interdum per utraqve, ſanguis exprimatur et prorumpat, eoque nunc vomitio, ſaepius fluxio per alvum cruenta, nunc utraque excitetur. Hunc enim ſanguinis impetum cum vaſa ventriculi, ceteraque, quae hic confluunt, venoſa experiuntur, tum vero omnium facilime vena excipere haemorrhoidalis, et proferre longius, propter declivem et perpendicularem ſitum poteſt. Fiuntque varia eiusmodi ſymptomata, plura, paucioraqve, vehementiora, aut vix memoratu digna, pro cauſarum, plus minus urgentium, varietate, et diverſa aegrotantis naturae conditione. Nec raro haemorrhoides, tam caecae, quam fluentes, nullam prope, aut non adeo inſignem mutationem corpori afferunt, praeſertim ſi a cauſa quadam externa excitentur, nullaque humorum et viſcerum labes adſit.

XXIX.

Demum non praetermitti oportet, id quod ſupra indicavimus, communi fere errore, quem etiam in CL. *Verheyen Anat. Tr. VII. C. III* commiſſum deprehendas, haemorrhoides externas a venis haemorrhoidalibus externis deduci, qvae tamen cum ex cava, iliacaqve interna, et hypogaſtrica oriundae, in muſculum ſphincterem, et levatores duos diſpergantur, non niſi in muſculoſa ani ſubſtantia et ſphinctere cu-

taneo tumorem aliquem, vix tamen apparentem, aut alia ſe exhibentem facie, concipere poſſunt, quod quidem perraro fieri exiſtimarim. Quae autem venae in ipſa inteſtini recti ſubſtantia interiore membranoſa turgeſcunt, hae unius venae haemorrhoidalis interioris ſoboles ſunt, et haemorrhoides externae, vel internae vocantur, prout ſurculi inferiores, et extremi, oculisque et tactui obvii, vel ſuperiores, quaeque intus occuluntur, in tumorem extenduntur. Iisdem vero cognominibus indicari poſſunt, cum ſociae tumentes arteriae, tum cellulae, intra inteſtinum rectum, nunc inferius, nunc altius paulo latentes et fornicatae. Variat autem omnium illorum tumorum figura, color et durities, pro contentorum humorum, vaſorumque, ac tunicarum continentium varietate, et diverſa demum villorum motricium conſtrictione.

XXX.

De Diagnoſi, haud opus eſſe videtur, ut multa diſſeramus, cum ſatis in antecedentibus, et hiſtoria morbi ea ſint propoſita, quae ad haemorrhoides, cum fluentes, tum caecas, cognoſcendas, et utrasque a tumoribus, et fluxionibus aliis diſtingvendas, faciunt. Neqve vero cauſarum ſigna cognitu adeo difficilia ſunt, qvia ea tum aegrotus, tum cauſae praegreſſae, ſymptomataqve demum coniuncta, de qvibus omnibus ſupra abunde actum, declarant. Ad Prognoſin qvod attinet, peſſimae ſunt haemorrhoides, qvae modum excedunt, viresqve infirmant. Hinc enim, amiſſo vitae theſauro, vividus faciei perit color, et gravitas in coxis, multaqve in cruribus imbecillitas eſt, et malus corporis habitus contrahitur, qvem leipothymiae, hebetudines ſenſuum, hydrops, tabes, variumqve genus morborum, immo mors ipſa, ſeqvuntur, qvemadmodum de *Eudemo Lariſſae* refert *Hippocrates V. Epid. 20.* Ita etiam ſangvinem

cum

cum vita effudit Doctiſſ. medicus, *Jacob. Horſtius*, teſte *Greg. Horſtio, Tom. II. Oper. p. 28.* Sed nec caecae haemorrhoides periculo vacant, praeſertim ſi fuerint furentes, inflammationemque coniunctam habeant. Sic enim inſignes ſaepe moleſtias, et vix aliqvando ſanabiles, advocant, qvando dolores gignunt atrociſſimos, et vigilias, langvoremqve virium, febres etiam, ſpasmos, iſchuriam, lethalem alvi obſtructionem, ileum, aliaque funeſta inducunt ſymptomata, atque ex corruptione ſtagnantis ſanguinis abſceſſus, qvorum tandem exitus in fiſtulas utplurimum eſt, pariunt, nec raro in ulcera cancroſa, vel gangraenam degenerant, inductaque interiorum νεκρώσει, miſeram tandem mortem inferunt.

XXXI.

Quod ad Curationem attinet haemorrhoidum, varia eſt intentio, et ſcopus diverſus, prout affectus variat. Nam uti fluxio haemorrhoidalis, quamdiu intra mediocritatis conſiſtit terminos, nec urgenda, neque cohibenda eſt temere, ſed cum legitimo ſex rerum nonnaturalium, qvas vocant, tum convenientium cuiusvis conſtitutioni remediorum uſu ita moderanda, ne in alterum extremorum, quae periculoſa ſunt, decidamus: ita, ſi ultra modum proceſſerit eadem, magna cura, et cautione cohibenda eſt, cum alioqvi fontem exhauriat vitae, et multas inferre calamitates, ipſamqve mortem, posſit.

XXXII.

Itaque ſi minus alvus reſpondeat, ac ſcybala praeſertim dura adſint, vel feces etiam bilioſae, viſcidae et acres inſideant in cavo inteſtinorum, haec quidem ante omnia hoc citius corpore eiicienda ſunt, qvo certius conſtat, iisdem et provocari, et foveri haemorrhoides, magnoque

aegrotantium commodo eadem vacuari; ut alios inter illuſtri quodam exemplo comprobavit *Solenander l. c.* Sed cavendum tamen a fortioribus eſt pharmacis, acriusqve exſtimulantibus, et benigniora tantum adhibenda ſunt, ex ol. amygd. dulc. rec. vel iuſculis alterantibus, cum uvis Corinth. paratis, aut vehiculis aliis, cum crem. tart. tart. vitriolat. manna Cal. caſsia, tamarind. myrobal. ſirup. roſar. vel violar. ſolut. de ſpina cerv. de cichor. cum rhab. rhabarbaroqve ipſo, electuar. diaprun. roſar. ſolut. conſerv. roſ. mannat. et eius generis aliis, non minus cauſae, quam conſtitutioni cuiusvis aegrotantis, convenientibus. Hac ratione femina, qvae variis doloribus corporis diu vexata, alvoqve adſtricta fere ſemper afflicta, poſt iniectos ſaepius clyſmos, in gravem incidit fluxionem haemorrhoidum, unius uſu hauſti purgantis, ex caſsia fiſtul. rec. extr. manna Cal. ſyr. roſ. ſolut. aqvave cichor. qvater repetiti, et facta venae in brachio inciſione, curata fuit a *Deckero l. c. p. 432.* Sic etiam eundem fluxum, a copia bilis excitatum, dato cathartico ex gialapio, mox iterum ceſſaſſe, annotatum eſt in *Diſſ. de Haemorrhag.* praeſidio CL. *Meibomii* habita. Neqve tamen clyſmi mollientes adeo ſemper reformidandi ſunt, modo circumſpecte, nullaque adhibita vi, admoveantur.

XXXIII.

His ita praemisſis, vel, ſi minus neceſſaria, atqve utilia viſa fuerint, omisſis, tundenda eſt vena cubiti. Id enim praeſidii genus expeditum eſt, et efficax, ubi temperandus et divertendus eſt impetus ſangvinis. Detrahendi autem ſangvinis qvantitas pro ratione turgeſcentiae, et virium metienda. Nam ubi vehemens commotio ſangvinis, et inflammatio adeſt, viresqve valent, liberalius mittendus eſt; parcius, ubi ſecus habet. Adiunge ad exactiorem aeſtimationem corporis habitum, aetatem, anni tempus, ac reliqua his accommodata. Carnoſior enim habitus, florens aetas, vernum tempus, te reddent in copioſiori detrahendo

do

do ſangvine confidentiorem; ab his diverſa, cautiorem. Quodſi confertam ſemel evacuationem generoſe non ferendam coniicias, ipſam partiri tutius erit. Quibusdam cucurbitulae placent, dorſo et ſcapulis admotae cum ſcarificatione, quod quamvis pari qvantitate ſangvinem detrahant, minus tamen incommodi viribus inferant, qvam ſangvis vena ſecta confertim emiſſus; id quod et ipſe facile conceſſerim, rationem ex modo evacuationis petendam ratus. Neqve improbaverim cucurbitulas etiam ſolas, easqve magnas, et cum multa flamma ſcapulis et lumbis admovendas. Sin minus vaſa humoribus tumeant, nullaqve adſint turgeſcentiae ſigna, viresqve ſint infirmae, abſtinendum eſt ab omni ſangvinis misſione, ne idem eveniat, qvod memorat *Willis* de viro qvodam generoſo, ſangvinis eruptiones crebras, et immanes, modo ex naribus, modo vaſis haemorrhoidalibus aliqvandiu paſſo. Hic enim ex inciſa crebrius vena non modo nihil ſenſit levamenti, ſed etiam ſaepisſime poſt eandem in ſudores frigidos, animiqve deliqvia incidit, iſtisqve haemorrhagiis nihilominus obnoxius, multo deinde deterius habuit, ac neglecta omiſſaque phlebotomia, uſu pulveris ex rad. poeon. mar. corall. r. margarit. ebor. lap. cancr. lap. haemat. et lap. prunellae, ſumti in iulapio ex aq. ceraſ. nigr. meliſſ. cinam. theriacal. et ſirup. corall. tandem convaluit. *Ph. Rat. P. II. S. III. C. II.*

XXXIV.

Quare ſolerter omnino praeſens corporis et valetudinis ſtatus indagandus eſt, ut cui prodeſſe ſangvinis misſio, vel obeſſe posſit, mature intelligamus. In omni autem propemodum caſu magnam vim et efficaciam habet prudens ſelectus et uſus remediorum, corrigendae ſangvinis craſi et acrimoniae, motuiqve temperando, et claudendis vaſis accommodatorum, ex corn. cerv. ebor. corall. margarit. matr. perl. lap. cancr. lap. bezoar, unicorn. foſſ. et marin. dent. eqvi

eqvi mar. terr. ſigill. bol. Armen. antimon. diaph. ſimpl. et martial. cryſtall. mont. nitro antimon. ſale prunell. arcan. dupl. ſem. plantag. oxalid. ſumach, ſuccin. maſtich. bdell. ſangv. drac. catechu, rad. biſtort. torment. et horum extract. lap. haemat. ſale mart. dulc. terra vitrioli dulc. croc. mart. adſtr. ſacch. ſaturn. atqve ex horum qvibusdam, et ſimilibus compoſitis pulv. ſtegnot. et ſtypt. *Gutm. Hochſt. Croll.* et *Heurn.* ſpec. de hyacinth. trochiſc. de carabe, ſpod. terr. ſigill. bol. Armen. diamart. et diaplantag. *Mynſ.* diatragac. fr. et ſperniol. *Croll.* Ex qvibus, emendandis humorum, et ductuum vitiis, quae varia eſſe ſolent, apta atqve idonea eligi, et varia pulverum, pilularum, potionum, vel opiatarum forma, additis aq. ſtill. plantag. pap. rh. agrimon. millefol. centinod. urticae, huiusqve ſucco, conſerv. roſ. antiq. ſir. e roſ. ſicc. myrt. granat. cydon. de ſymph. *Fernel.* exhiberi poſſunt. *Solenander* pilulas confici iubet ex pil. e bdell. troch. de terr. ſigill. et de carabe, cum mucilag. ſem. cydon. aqva roſ. extract. qvas expertus magnopere commendat *l. c.* eique conſentit *Foreſtus l. c.* Grata etiam eſt modica guttularum doſis tinct. lap. haemat. ſulph. vitriol. cum vel ſine tinct. corall. et tinct. ſtypt. catechu, tinct. item antiphth. *Grammanni*, atque eſſ. travmat. *Michael.* et *Hagendornii.* Et maiorem cunctis virtutem largientur opiata, contemperando ſangvinis fervori, atque orgaſmo inprimis utilia, uti ſunt: laud. liquid. et ſicc. tinctura item et pulv. anod. ſir. papav. diacod. theriac. *Androm.* diaſcord. philon. Rom. troch. narcot. *Plateri*, pil. de cynogl. de ſtyrace, et eiusdem virtutis alia. Cuiusmodi prioribus doſi refracta addi, et permiſceri varie, urgenteque neceſſitate, ampliori paulo numero dari poterunt. Mature autem ea uſurpanda ſunt, dum vires adhuc aegroto conſtant, qvem alioqvin, attritis demum viribus exhibita, facile in hydropem, vel ſoporem lethalem abripiunt. Quod ſi ab impedito ſangvinis circulo per hepar, indeque oriunda reſtagnatione, fluxio pendeat,

deat, non temere ad opiata, atqve adſtringentia confugiendum, neqve confeſtim illa ſiſtenda eſt fluxio, ſed reſtituta prius pororum atqve meatuum libertate, vaſa infarctu liberanda, novusqve ſangvini vigor et motus conciliandus eſt, ope remediorum ex gumm. Ammon. galban. ſagapen. tartaro, nitro atqve aperientibus aliis, inprimis vero martialibus, antim. nempe diaph. martial. vitriol. mart. ſale mart. dulc. croc. mart. ſulph. pulv. cacheƈt. et tinƈt. atque extraƈtis chalybeatis. Qua ratione *Riverius* fluxionem eiusmodi pilulis ex chalybe praep. cum ſulph. aloe opt. ſenn. mund. rhabarb. agaric. ſpec. diarrhod. Abb. et croc. cum ſir. roſ. ſolut. confeƈtis, et deſcript. *Pr. L. XI. C. III. de Obſtr. hep.* penitus ſuſtulit *l. c. L. X. C. X.*

XXXV.

Praeter haec, externa quoque remedia multum hic momenti habent, eo quod citius ad locum affeƈtum perveniant, quam ea, quae per os ſumuntur. Ea vero eiusmodi ſint, quae fervorem et acrimoniam humorum temperare, viasque, per qvas ſangvis fluit, contrahere poſſint, eaque adhibeantur ratione, ut a mitioribus ad validiora progrediamur, niſi caſus urgens ſubito cogat ad fortiora. Siqve dolor adſit vehemens cum inflammatione, huic etiam reƈte occurrendum eſt. Ac dolorem quidem ardoremque egregie temperant epithemata ex aq. plantag. roſar. ſacch. ſaturn. ceruſſ. litharg. ſaleque prunellae, cum linteis, vel turundis mollibus applicanda; quae qvidem cum ungvent. popul. roſac. Comitiſſ. ſuc. ſempervív. creta albiſſ. croc. ol. verbaſc. roſac. nymph. alb. ov. facile in linimenti formam rediguntur. Vel fieri etiam cataplaſmata poſſunt, addendo farin. tritic. vitell. ov. et decoƈt. fl. viol. verbaſc. ac ſem. pſyll. in laƈte. *Gualt. Bruele Med. Theor. et Emp. p. 362.* ad ſedandum do-

lorem laudat empl. ex pulp. pom. ſub ciner. coct. in rad. alth. cum but. rec. croco et alb. ov. ſiqve eodem minus dolor mitigetur, addi iubet ſolanum. Vbi vaſa aperta magis ſunt claudenda, conveniunt fol. plantag. verbaſc. ſummit. qverc. rad. plantag. biſtort. torment. fl. roſ. r. balauſt. ſem. ſumach, myrtill, oſſ. dactyl. gall. virid. malicor. thus, maſtich. ſuccin. bdell. pix, corn. cerv. uſt. alum. qvorum alia, aqua ferr. et vino r. adſtr. cocta, pro fotu, alia pro ſuffitu adhiberi poſſunt. Quidam ſolius ſuffitu myrrhae, ut et thuris ac maſtichis, naribus tantum, vel etiam ano excepto, recreati ſunt, teſte Cl. *Maiore Eph. Germ. D. I. A. III. Obſ. 226.* Idem de ſtercoris ſuilli odore fœtido alii affirmant. *Rulandus* ſacculis calidis, ex panno r. et contuſis glandib. vel fol. qverc. in forti aceto multum decoctis, feliciter uſus eſt *Cent. I. Cur. VII. Foreſtus* adhibuit ſucc. plantag. burſae paſt. verbaſc. cum thure, ſangv. drac. bolo, lap. haemat. gypſo, ſcor. ferri praep. et ſimilib. vel cum ceruſſ. aut litharg. Ipſe ſangvis ex vaſis haemorrhoidalibus exeundo concreſcens, et ratione partium glutinoſarum ſibi ipſi obicem ponens, vel quivis alius, igne exſiccatus, anoqve immiſſus, *Platero* et *Riverio* familiaris fuit. *Jo.* vero *Hartmannus* pulv. laudat mumiae transmar. et ſuberis *Pr. Chym. p. m. 50.* Idem praeſtant gumm. Arab. et tragac. praeſertim ſi cum ſangv. drac. aloe, olibano, alb. ov. et pilis lepor. ſub cauda albis et mollisſimis accommodentur. Eidem fini fuligo camini, conqvaſſata cum alb. ov. admixtis telis aran. applicari poteſt. Nonnulli ungventum de tabaco commendant, nec non linteum, alumine et ſpermate ranarum ſemel iterumque impraegnatum. Sunt etiam, qui troch. de terr. ſigill. cum alb. ov. conquaſſ. cataplaſmatis forma adhibent. Alii pulveres conficiunt, cum goſſipio imponendos, inter quos praeſtantiores ſunt pulv. haemorrhoid. *Mynſichti* in *Armament. S. V.* et *Cnöffelii* alb. et rub. in *Eph. Germ. D. I. A. VII. App. p. 118.* Efficax quoque eſt remedium fungus ille rarus,

qui crepitus lupi dicitur, probe exſiccatus, vaſisque fluentibus admotus, quem exulceratas etiam haemorrhoides coercere, et obturare, teſtatur *Scholzius Conſ. CCII.* Si vim praedicti fungi adſtrictivam augeri expediat, madefiat idem ſolutione vitrioli mart. non adeo acris, et applicetur. In pertinaci fluxu, ab admotis hirudinibus excitato, fruſtra adhibitis aliis, ſolis pilis leporis conciſis, plurimoque imbutis atramento, cum ſucceſſu uſus eſt CL. *Puerarius Theſ. med. Pr. Burneti T. II. p. m. 45.* Eiusdem ope atramenti, cum ſpongia ano immiſſi, potuque ordinario infuſionis ligni lentiſci, graviſſimo haemorrhoidum fluxu liberatum in Italia *Vladislaum IV.* Regem Poloniarum, refert praedictus *Cnöffelius l. c.* Neque latere facile quenquam poſſunt decantatus ille pulvis ſympath. et colcothar, ac terra vitrioli balſamica, qvae vario modo in pulv. liqvor. et linimentis adhiberi ſolent. Ac recordamur felicem uſum aquae ſtypticae Dn. *Lemery*, qvae ex alum. uſt. colcoth. ſacch. cand. aq. plantag. roſ. et ur. pueri conficitur, tutoque non tantum exterius cum linteo applicari, ſed etiam interius, quarundam guttularum doſi, cum aqua polygoni, vel ſimili, ſumi poteſt.

XXXVI.

His demum, quae laudavimus, remediis, ex voto minus proficientibus, poſtrema curandi ratio eſt, ut extremitates vaſorum, ſanguinem fundentium, filis, per easdem traiectis, conſtringantur, ea ratione, quam *Aetius* et *Paulus* docuerunt, ac tradidit *Maſſarias Pr. L. III.* vel etiam ſecentur, aut adurantur, ut docuit *Hippocrates l. c.* Sed rariſſime ad hanc operandi rationem, qvam promtum quidem, at crudele praeſidium merito appellat Doctiſſ. *Jacob. Sponius Aph. nov. XCV. S. V.* accedimus. Quare ſi continuo ſanguinis profluvio vires valde debilitentur, metusque gravio-

ris immineat mali, et nec urere, neqve ſecare velis, eodem auctore laudato ſene, cuius conſilium praedictus probat *Sponius*, curatio ope remediorum, ex ſtypticis et cauſticis mixtorum, perficienda eſt, ita ut ſedes multa aqva calida prius foveatur, et invertatur, tum myrrha laevigata, galla, alumen uſtum, et melanteria applicentur. Sic enim uſtulatum vas haemorrhoidale claudetur, et decidet.

XXXVII.

Inter amuleta, quorum multa et varia a variis proponuntur, non contemnendum eſt cingulum ex foliis rec. hellebori nigri conqvaſſatis nudo corpori circumdatum, qvod in immoderato haemorrhoidum menſiumque fluxu experientia doctus commendat *Hartmannus. l. c.* Hunc ſecutus *Lindanus*, eodem modo feliciter uſurpavit fol. helleb. albi cum pulv. ſubtili cort. querc. in *Coll. M. S. ad Pr. Hartm.* Memoratqve CL. *Wedelius* feminam ſenilem, cuius Th. N. mentio facta eſt, poſito ſub axillis ſolo polygono, ſedare didiciſſe eundem fluxum, cum ſaltu prodeuntem, et rebellem admodum, aliisqve remediis minus auſcultantem. Quae *Manardes* de lapide ſangvinari, ſeu haematite, ſcribit: *Vidimus*, inqviens, *nonnullos haemorrhoidum fluxu afflictos remedium ſenſiſſe, annulos ex hoc lapide confectos in digito continue geſtando; nec non et menſtruum fluxum ſiſti. De Simpl. Ind. Hiſt. C. 36.* de iis experientia conſulenda. Dicitur enim idem lapis manibus detentus, usque dum incaleſcat, haemorrhagias ſiſtere a *C. Bartholino de Lap. nephr. C. X.* Idemque e collo ſuſpenſus efficit, ſecundum *Hollerium l. c. C. 22.* Qvod tamen *Paracelſus* de haematite negat, et de Carniolo praedicat *Chir. magn. L. I. Tr. II.* Sed multum floribus haematitis aurei coloris tribuitur in laudata Doctiſſ. *Meibomii Diſſ.* quod tam intenſe croci fragantiam ſpirent, ut aliquando diu-

tius in manibus eos quis tenens a ſomno vix ac ne vix quidem temperare ſibi valeat. Nota praeterea ſunt, quae de bufone exſiccato, eiusque pulvere ſacculo incluſo, viquè narcotica non immuni, ut et de uſnea cranii hum. burſa, item paſt. et centinodio, manu detentis, aut geſtatis ſub axillis, aut in vino rubro, acetoque coctis, et variis admotis partibus, traduntur. Nihil addo de annulo ſtellato *Helmontii*, qui geſtatus ſaltem in digito, ceteris nihil iuvantibus, ſubito, et ſpatio orationis Dominicae, haemorrhoidum dolores abarcere, et viginti quatuor horarum intervallo haemorrhoides penitus omnes abigere, ſangvinemque reſtagnantem denuo in motum reducere, et bonae conditioni reſtituere, fertur, atqve adverſus paſſiones hyſtericas, morbosque plures alios commendatur. *C. Ih. de Febr.* Quippe qui probe norim, divitem promiſſis auctorem eſſe, et paradoxis principiis, ſaepeque ridiculis, pleraque ſuperſtruere. Sed longius, quam volebam, curationi haemorrhoidum, immodice fluentium, immoratus ſum.

XXXIIX.

Quare nunc ad Curationem caecarum progredior, cuius quidem cardo in eo praecipue vertitur, ut circulus ſanguinis, tranſitusque ex arteriis in venas haemorrhoidales, et progresſio eius per propagines portae in cavam inſtauretur, et dolor, ac reliqua, vel imminentia, vel praeſentia ſymptomata, mature avertantur. Quodſi igitur adſit inflammatio, vel alias ſangvis turgeat in vaſis, aut redundet, vel minus etiam mobilibus conſtans particulis, difficulter corpus circueat, nec deficiat tamen, is ex inciſa cubiti, aut, ſi a ſuppresſione haemorrhoidum, vel menſium, morbus pendeat, cruris vena mittendus eſt, ſemel, iterumque, qvoad cauſa mali requiſierit, et vires tulerint. Hinc vero con-

venientia corrigendae variae humorum dyſcraſiae remedia diluentia, blandeque, vel fortius diſſolventia, ex diaphoreticis, fixis, vel volatilibus, diureticis, ac praecipue nitroſis, ut et martialibus, aliisque aperientibus, et viſcerum vaſorumque tonum confirmantibus, adhibenda ſunt. Inter euporiſta habetur decoctum millefolii, loco potus ordinarii uſurpandum, teſtantibus *Villanovano*, *Riverio* et *Paſcheqvo*. *Solenander* empirici cuiusdam meminit, qui genus haemorrhoidum omne ſanaverit infuſione chelidonii min. in cereviſia. Laudat idem infuſionem herbae et rad. craſſulae mai. ac ſcrophulariae potus itidem ordinarii loco. Qvod etiam de fol. et rad. ſcrophulariae eleganti obſervatione confirmat *Heerius*, cui adſtipulatur *Ettmullerus*, qui mulieri iuveni, diu malo iſto afflictae, tempore autumnali totam ſcrophulariae herbam miſit, ut radices quasdam femoribus alligaret, alias cum herba nodulo incluſas cereviſiae infunderet, et inde ordinarie biberet, foliaque demum quaedam tenuiter inciſa omni mane cum pane butyrato aſſumeret; quibus remediis, per unam alteramque ſeptimanam continuatis, praeter ſpem convaluit.

XXXIX.

Sed multis interioribus remediis minus quidem indigebimus, ſi nullo ſangvinis vitio, a cauſa tantum externa et vi quadam, vaſis haemorrhoidalibus illata, tumor eiusmodi proficiſcatur. In omni autem caſu opera danda, ut topicorum ope idoneorum ſangvis ſtagnans blande diſſolvatur, fibraeqve tenſae et conſtrictae laxentur, laxatae nimium firmentur, ac dolor inprimis et ardor depellantur. Vnde varia ſolent proponi, ex quibus meliora, et cuivis caſui accommodata, eligenda ſunt. Huc faciunt pulli columbini et gallinacei, pulmones haedini, vervec. omentaque adhuc

calentia, et ſimilia ano admota: Fotus porrò tepidus, vel ſolius lactis, decoct. in eodem malv. bismalv. parietar. verbaſc. ſambuc. teleph. melilot. chamaem. ſem. lin. alth. foen. Gr. Catapl. item ex mica panis alb. coct. in lact. caprin. addit. vitell. ov. et croco: nec non linimenta, ex ol. comm. cui herb. et bac. parid. incoct. ex ol. vitell. ov. lini, buxi, verbaſc. ſept. fl. *Mynſ.* momord. papav. mucilag. ſem. pſyll. cydon. lap. calam. ſacch. ſaturn. ceruſſ. camphor. balſ. ſulphur. *Ruland.* ungvent. dialth. de verben. ex herb. et fl. linar. ſcrophular. et teleph. vel chelidon. min. et ſcarab. cum ol. ſperm. ranar. et verbaſc. ac ſucc. cancr. ex ungv. roſac. cum mercur. viv. ex ungv. popul. cum cochinell. et mercur. fumo plumbi fixat. ex millepedib. in ol. nucum excoct. ex decoct. ſcarab. in ol. lini, itemque cinerib. ſuberis, mixtis cum axungia capi, vel ol. myrt. aut rapiſtri; quorum omnium egregium effectum teſtantur *Gesnerus*, *Foreſtus*, *Solenander*, *Fonſeca*, *Quercetanus*, *Rulandus*, *Riverius*, *Hartmannus*, *Horſtius*, *Borellus*, *Croſſelius*, *Hoferus*, *Mayerne*, *Fr. Redi*, et *Gardilucius*. Hic etiam empl. laudat Apoſtolorum, quod dolorem ſedet, et ſangvinem effluere ſinat. Refertque *Ottho Heurnius*, Rudolphum II. Imperatorem, cum immani haemorrhoidum dolore cruciaretur, vapore caſei Holland. Edamenſ. prunis impoſiti, curatum. In *Not. ad C. II. L. VI. Pathol. Fernel.* Et *Mayerne* pro ſingulari habet euporiſto vernicem pictorum, cuius applicatione ſanatus fertur Carolus V. Imperator, cum alia fruſtra fuiſſent adhibita. H. F. ab *Aqvapendente* uſus eſt inſeſſione in aquis thermalibus. Spongiam quoq; e iis immerſam atque expreſſam applicuit. Laudant alii inſeſſus ex aqua chalybeata, in qua diſcutientia ac roborantia ſint decocta. Sed multis experimentis celebratum eſt ungv. de linaria *Wolfii*, permixtum in ardore et dolore ungu. diapompholi. vel de litharg. et popul. Temperat etiam ardorem ungu. ex ſucco ſedi mai. cum ol. rapiſtr. et

tantillo

tantillo ceruſſae ac cerae. De ſolano teſtatur *Binningerus*, quod recens contuſum; et admotum, tumorem doloremque cito abegerit. Vrgente igitur dolore, ex eodem, ut et ex fol. hyoſc. ſem. papav. alb. fl. chamaem. coct. in lacte caprino, addit. vitell. ov. et croc. cataplaſmata; vel ex ol. hyoſc. in quo coxerit ſcrophularia, cum ol. lini, in quo bullierint ſcarab. ol. ſperm. ran. lithargyro, ipſoque opio, unguenta ſolent confici, cuiusmodi ſunt ungv. Auguſtanorum, *Cnoffelii* et *Gremſii*. Sed hic cautione opus eſt in uſu eiusmodi topicorum, qvae narcotica ingrediuntur, ne paralyſis, vel gangraena, atqve mortificatio partis procuretur. *Solenander* admota theriaca, vel Mithridatio recenti, dolorem pariter ac tumorem ſaepius feliciter ſuſtulit *l. c.* Cauti etiam ſimus in uſu pingvium, praeſertim ubi dolor et ardor adeſt inflammatorius, atque ad gangraenam malum tendit. Adeo circumſpecte omnibus utendum eſt, ac videndum, quid in quovis caſu expediat, vel nocere, ac damno eſſe poſſit. Si ulcus adeſſe ab exeuntibus intellexerimus, unguenta ſaturnina cum balſ. ſulph. *Rul.* oleoque hyperici convenient. *Boyle* expertus commendat ungv. ex auro fulminante, praepar. et fixo, cum exigua quantitate ol. amygd. dulc. *De Uſu Ph. Exp. Exerc. V. C. 10.* Auro fulm. alii ſubſtituunt ſulph. aurat. antimonii. His praemiſſis, ſiccantibus perficienda eſt curatio. De uſu cauteriorum legi merentur *Aquapendens* et *Scultetus*, notatuque digna eſt *Obſ. XCIV.* in huius *Append.* de haemorrhoide, pollicis longitudine et craſſitie in ſene ferro ignito ablata.

XL.

Multum praeterea *Helmontius* ſudori morientium tribuit, qvem mirificas, ait, vires habere mortificandi haemorrhoides, et excreſcentias. *Tr. Lat. hum. neglect.* §. 17. Huc etiam pertinent, quae idem de annulo ſuo iactitat.

Pelle autem leonis, ſi ei inſideatur, haemorrhoidum dolores efficaciter leniri, auctor eſt *Jonſtonus Quadruped. Hiſt. nat. p. 117.* Scribitque celeberr. *Wedelius*, radicem telephii recens appenſam (aut ſaltem nodos eius aliquot, prout nodi plures, vel pauciores, in ano protuberant,) cum filo in dorſo inter ſcapulas, haemorrhoidum dolores ilico ſedare, unaque cum marceſcente radice tabere, et evaneſcere omne tuberculum: *Eph. Germ. D. I. A. II. Obſ. 95.* Quo etiam loco eiusdem radicis efficaciam pluribus illuſtribus exemplis comprobat. His autem ſubiungendum eſt iudicium *Jo. Raii*: *Nos*, inquientis, *ut non negamus amuletis aliqvam vim ineſſe poſſe, ita iis non multum fidimus. Hiſt. Plant. T. I. L. XIV. C. II.*

XLI.

Quodſi contumax malum ſit, et refractarium, ortumque inprimis habeat ex ſuppreſſione haemorrhoidum, vel etiam alias eaedem fluxerint, ad vacuationem ſanguinis, haemorrhoides replentis, veniendum eſt. Neque enim alia via tam commode educi poteſt, id quod reſtagnat in illis locis, negotiumque corpori creat. Nam ſive corruptus eo devenerit humor, ſive ſtagnando ibidem labem conceperit, vaſaque infarſerit, aut horum qvoqve, ac hepatis inprimis vitio reſtagnet, atque a progreſſione prohibeatur, magno omnino totius corporis commodo, vel ſponte, vel arte, dirumpetur tumor, vel aperietur, primumque effluet, id qvod vel, anteqvam deponeretur in haemorrhoidibus, mixtum ſangvini, inutile erat, et morbos parere poterat, vel quod inſtitione corruptum, aut copia, motuque moleſtum, corpus laceſſebat. Poſtea novus ſangvini, cum in arteriis, tum venis illis impedito, motus et fluxus conciliabitur, et ſi quid aliud effluet utilium etiam humorum, eo melius una expurgabuntur reliqviae adhuc in ſangvine haerentes. Ac demum, ſi fluxio ſiſtatur, homini bene erit; ſiquidem id potiſſimum evacuatum eſt, qvod non ſolum inutile, ſed no-

xium

xium inſuper erat, et inteſtinum rectum, ac tota ſaepe hypochondria, omnemqve prope inferioris ventris regionem divexabat. Vnde illos inprimis, qvibus hypochondria aeſtuant, ab hoc evacuationis genere multum leuamenti capere videas. Id qvod bene perſpexit *M. Martini*, cum ait: *Ex morbis igitur lutulenti et vitioſi ſangvinis συναθροισμῷ occaſionem praebentibus, lumborum gravitate, venarum ingenti calore ac turgeſcentia, ani deniqve dolore, et exaeſtuatione, ſi cognoveris humorem fieri ἀνάρροπον, et ad ſuperiora provehi, morbiqve hypochondriaci, vel alterius rudimenta ponere, nullum certe ſalubrius conſilium eligi poteſt, qvam haemorrhoidum apertionem, relictis rebus omnibus, moliri: hoc enim fluxu procurato, medicamentorum multitudine non amplius opus erit. De Aff. Hypochondr. p. 411.*

XLII.

Atque eo quidem ſenſu hic accipiendum eſt, quando medicus naturae motum animadvertere, et iuvare iubetur. Neque enim aliter intelligendum puto, cum *Primeroſium*, qui: *Niſi*, inquit, *natura oſtendat, ſe evacuationem hanc moliri, non ſunt temere hae venae aperiendae, de Vulg. Error. L. IV. C. II.* tum *Hollerium*, qui aperiendas eſſe negat, ſi non tumeant, et nunqvam fluxerint, ſed ſi natura eo inclinaverit, eiusdem imitatione aperiri poſſe exiſtimat, alias nunquam *l. c.* Quo minus iis adſtipulari videbimur, qui ſingulari quadam naturae providentia hanc regi excretionem, cum ſponte fit, opinantur, eoque potiſſimum conditam eſſe venam haemorrhoidalem portae, ſubindeqve reſerari contendunt, ut per eandem colluvies feculenta hypochondriorum, atqve cacochymia ſangvinis expurgetur.

XLIII.

Hanc autem artificioſam venarum adapertionem multifariam moliri ſolent, vel cum foliis ficulneis, aut frontibus parietariae, aſperiuſculove panno, iugiter fricato ano, vel

aſſiduis fotibus ex decoctione malvarum, mercurial. parietar. et chamaemeli, vel applicato emplaſtro ex pulpa pomi, ſub cineribus cocti, et fimo columbino, cum pulpa colocynthid. et ſucco cepae, vel litu ex aloe, pulpa colocynthid. et felle ſuillo, aut ex cepa ſub cineribus cocta, et mixta cum felle bovis, aut ex ſucco cyclaminis, et radicis cucumeris aſin. vel clyſmis ex decocto colocynthidis, aut aceto forti, cum felle tauri atque aloe, vel glandibus ex rad. cyclamin. hiera diacolocynthid. cum melle inſpiſſat. aut ex pulvere colocynthidis, amygdalis amaris et melle, vel demum lanceolae, aut applicatarum hirudinum ope. Interius vero aloe utuntur, ex eaque paratis pilulis *Ruffi*, aloephanginis, elixire proprietatis ſine acido, immo purgantibus quoque fortioribus, atque exagitantibus emmenagogis. Quibus quidem remediis alios, quibus ſuppreſſae ſunt haemorrhoides, vel alias fluere ſolitae, eventum experiri felicem, alios contra nunc magis, nunc minus laedi, animadvertas. Hinc enim ſaepius incrementum doloris, nec raro inflammatio pendet, quam facile gangraena conſequitur. Idemque metuendum, ſi nimio affrictu partes illae exaſperentur, aut rebus aliis acrioribus exſtimulentur.

XLIV.

Scalpello denique hirudines praeferendas cenſeo, ſelectas quidem illas, aquave perpurgatas, motus funeſtis qvibusdam atqve exitialibus exemplis, qvorum aliud relatum legimus a *Zacuto Luſitano* de iuvene quodam robuſto, qui apertis lanceola haemorrhoidibus, una cum ſanguine, nullo modo cohibendo, animam profudit. *Hiſt. Med. Pr. L. I. Obſ. 40.* Aliud illuſtrius habet *Dionyſius Daca de Apoſtem.* L. III. C. 188. *Jo. Auſtriaci, Caroli V.* Imperatoris filii, qui ſectis his ſcapelli acie venis, largisſimaque ſeqvente haemorrhagia, in ipſis medicorum manibus immatura infortunataqve morte obiit. Ceterum uti negari neqvit, plus ſangvinis, et citius ſcalpello educi, quam admotis hirudinibus poſſe; ita has cum delectu dulcem tantum-

modo et tenuem haurire ſangvinem, craſſum vero reſpuere et relinquere, quo etiam inclinat *Arniſaeus Diſſ. de Venaeſect. th.24.* experientia negat, qva conſtat, eum aliqvando qvidem floridum, ſaepe autem craſſum et limoſum apparere, qvi ex reſectis illorum animalculorum caudis profluit et colligitur. Quod ſi enim maiorem ſanguinis copiam educere velis, qvam illorum corpore contineri poteſt, reſecari cauda poterit, ac demulceri, et emulgeri digitis avidum ſangvinis animalculum. Sic enim ad ſatietatem haud perveniet, multumque ſangvinis profluet, ita ut interdum haemorrhagia ſatis magna ſubſequatur, quae cohiberi tamen facilius remediis poteſt, qvam ſi ſcalpello inflictum vulnuſculum fuerit. Tantum vero manare ſines, quantum ſatis eſſe conieceris. Sin venam perforare recuſent, ea ſanguine illinenda eſt. Conducet etiam fotu cutim emolliri, et attenuari. Vbi amovere illa volumus, non vi id fieri debet, ne in cute oris ſui aculeum relinquant, ſed conſperſione ſalis, vel cinerum. Ita enim facile decidunt. Adiuvari etiam haec poteſt ſanguinis eductio, ſi poſt applicatas, ſatiatasqve hirudines, ſuper ſellam perforatam aeger bene coopertus ſedeat, ita ut ſuppoſito vaſe, bulliente aqva pleno, aſcendentem vaporem anus excipiat; qua quippe ratione inflictum tumori vulnuſculum amplius hians, ſangvinem liberalius profundet. Aliqvi poſt ſpontaneum hirudinum caſum, cucurbitam ſiccam applicant, et ita ex patenti vulnuſculo optatam ſanguinis quantitatem proliciunt.

XLV.

Quod reliqvum eſt, cuivis patet, cum in fluentibus, tum caecis haemorrhoidibus, alvum toto morbi progreſſu mollem eſſe debere, ac recte ordinandam diaetam, quam ideo perſeqvi non vacat, qvoniam prudenti medico facile conſtat, nec minus a *Solenandro*, quam ab aliis ſatis eſt expoſita. Qvare haec quidem pro inſtituti ratione ſufficiant.

S. D. G.

Erratum:

P. 3. quemadmodum *L. de Arte*, et 1. *de Nat. Facult. Galenus* literis tradidit. leg. quemadmodum *Hippocrates L. de Arte*, et 1. *de Nat. Facult. Galenus* literis tradiderunt.